

B. M. II, 50.

H. 3, 2.

X 187 6036

D. O. M. A.

DISSERTATIONEM JURIS PUBLICI

De

CAPITULATIONE  
REGNI GERMANICI,

vulgò

Kaysers Wahl = Capitulation.

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo atque  
Consultissimo*

DN. SAMUELE RACHELIO, Jcto,

Juris Naturæ & Gentium Professore Celeberrimo,

*Publicæ eruditorum censurae submittit*

OTTO NICOLAUS LINDHOLTZ,

Kiloniensis

*Ad diem Julii A. 1675.*

*In Auditorio Jctorum.*

KILONI,

LITERIS JOACHIMI REUMANNI. ACAD. TYPOGR.

II R  
1548











## CAPUT I.

De

Capitulationis Definitione ac  
Divisione.

Thesis I.



Imperium civile in civitatibus quibusdam, circa exercendos suos actus liberum, alicubi ad certum agendi modum restrictum esse, nemini non rerum civilium Paulum perito manifestum est. Nam & in Democratiis, licet, hic non ita manifeste, & in Aristocratiis & Monarchiis, ubi parentibus ex Imperantium promissis & pactis, jus potest quæri, discrimen imperii absoluti seu verè summi & limitati apparet. Enim vero, quia unius aut paucorum hominum iudicium in dispiciendo eo, quod salutis publicæ expedit, facile decipi potest; neque omnibus ea animi firmitas sit, ut in tanta libertate libidines rationi oblucentes compescere norint; multis populis consultum videtur, tantam potestatem, non ita absolutè committere unius aut paucorum iudicio, ab erroribus non immuni & arbitrio in prava flexili, sed potius de certo modo imperii gerendi convenire. Quod ipsam illustrat insignis *Aristotelis locus 3. Polit. 12.* Qui mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges; qui vero jubet Hominem, adjungit & belluam. Cupiditas enim hujuscemodi quiddam est: atque excandescencia eos, qui imperium habent, distorquet optimos etiam viros. Quare Rex est sine appetitione mens. Atque istiusmodi conventionis formula aliis alio, nobis Germanis ut plurimum nunc Capitulationis nomine venit,



Quoniam autem in recta nominum explicatione, ordinationeque veritas consistit, operæ pretium facturus videor, si quædam de ipsa Capitulationis voce præmittam, cum & idem fecisse Jctorum doctissimos principio operum, testentur *l. i. ff. de J. & J. l. i. §. i. ff. de Off. Quest. l. i. §. i. ff. de Pact. l. i. ff. de Reb. Credit. & in Geometria, scientiarum forsan accuratissima, incipere idcirco Magistri soleant, à constitutione significationum, quibus usuri sunt, nomen.*

## III.

Est autem Capitulationis vox Latinæ quidem originis, licet tempore elegantix minus studioso nata: Descendens à Latino caput, cujus diminutivum capitulum complures admittit significationes. *Limneus Comment. ad Capitulat. sect. i. prolegom.* temporibus Caroli V. & Ferdinandi I. Imp. usum ejus cœpisse, neque antè id tempus, in Recessibus anterioribus aut actis publicis, hanc vocem scriptam aut usurpatam legi, existimat.

## IV.

Olim Capitulationes, sive Capitularia Leges Cæsarem publicas dictas, testatur Capitulare Caroli Magni de villis suis à *Dn. Conringio* editum. Item Capitulare Caroli M. pro Saxonia, quod *Holstenius* Bibliothecarius Pontificis ante aliquot annos imprimi curavit, ex Bibliothecæ Vaticanæ Manuscripto: nunc vero etiam extat inter Miscella antiquæ lectionis, *Argentorati Anno 1665. edita.* Præterea legisse me memini, eo tempore de quibus in generalibus conventibus communi consensu convenerat, latinè, germanicè, aut gallicè promulgari solita, appellata esse Capitula; illa vero quæ singulorum Regnorum essent decreta, Denuntiationes dictas. Exhibet etiam *Goldastus Constitut. Imperial. tom. 2. & 3.* Capitularia & Capitula quædam Imperatorum. Præterea etiam memoratur Capitulatio sequestrationis Ducatus Brunsvicensis. Capitulatio deditionis Ulrici Wirtenbergici Hasniæque Landgravii: Capitulatio captivitatis Electoris Saxonix apud *Hortlederum Oper. part. 2.* Denique Capitulationes de dedendis urbibus: de præfecturis militaribus, cui ignota nunc sunt nomina? Alias sumitur etiam pro ipso actu Capitulationis, ut & ipsis capitulationis articulis sive capitulis.

No-



5

Nobis jam Capitulatio, systematicè considerata, est Instrumentum seu Systema, comprehendens articulos, in quos paciscentes utrinque convenerunt. Vel, est pactum articulatum distinctum, & capitulare articulatum pacisci est.

V.

Quæ hodiè Capitulationes Imperatorum audiunt, scriptis antiquis Aimonii, Abbatis Urspergensis *Leges Palatina* dicuntur, secundum Goldast. *in dedicat tom. 3. Constitut. Imperial. §. Imperatori autem*. Post illa tempora *Keyserliche Obligation, Franckfurtischer Obligations Contract, geschworne Pacta, Articul Brieffe, Articuln. Revers &c.* appellata sunt. *Franciscus Irenicus in Colleg. Jur. Publ. part. 3. disc. 5. p. 34.* eas *Wahl Articul* sive *Keyser- Recht* item articulate *verbrieffte* pacta sive *die Stände des Reichs mit ihrem Ober-Haupt erwählen eingehen.* dicere amat. Apud Goldastum *Tom. 2. statut. & Rescript. Imp. p. 1.* exhibetur Capitulatio hæc inscriptione: *Verschreibung gegen des Heiligen Römischen Reichs Churfürsten, Ulrico Wirtenbergiæ Duci, im ausschreiben an alle Stände Anno 1534.* ap. Hortlederer. *lib. 3.* dicitur, *Capittel so Keyserl. May. in ihre Wählung gnädigst verwilliget.* Electori Moguntino apud Salinū in historia e'lectionis & coronationis Caroli V. formula constituendi & regendi Imperii. Non paucis *Lex Regia.* Quam commodè, infra disputabitur. Stylo & usu hodierno Imperii, Capitulatio Imperatoria, sive *Keyserliche Wahl Capitulation.* *Dominus Schieterus Cancellarius Gistroviensis, in tractatu, Hippolytho à Lapide opposito, part. 1. c. 15. sect. 1. §. 3. p. 618.* rectius eam Recapitulationem dici posse censet, cujus quidem satis prægnantem causam hætenus non perspicio; nisi quod fortè respexisse eum oportet, ad Capitulationes præcedentes, cujus capita ferè recapitulari, hoc est, repeti solent in sequentibus. Quia vero *Recapitulare* Græco verbo *ἀνακεφαλαιῶν*, id est, *summationem aut generatim recensere vel repetere*, usu vulgi respondet, in posterioribus vero Capitulationibus Imperii priorum capita majori sollicitudine & industria ferè explicata sunt, quo Reip. & Ordinum libertati magis cautum esset, neque hinc satis idonea causa arcessi poterit, cur Capitulationis voci Recapitulatio præferri debeat. Et vero ut singulæ gentes suum habent, idque peculiare jus Publicum, ita ca-





pita & principia ejusdem, diversus eodem licet tendentibus nominibus, denotare solent. Hinc Judæorum Jus Regium, *Deut.* 17. 14. & *Sam.* 1. 8. 11. expositum: Polonorum pacta conventa: Danorum, antequam injusti regni formam, magno suo commodo consentirent, *Handvest*: Romanorum Lex Regia: Gallorum Lex Salica: aliorumque Principium Reversales; quorum quidem mentionem hoc loco fecisse suffecerit, pleniori tractatione ad caput hujus disputat. ultimum, rejecta, ubi de affinibus & contrariis Capitulationis, ex instituto agendum erit. Plurium autem populorum leges fundamentales recenset *Reinhard. König. in diff. polit. de stat. Imp. Rom. ap. Goldast. in Polit. Imp. part. 14.*

## VI.

Haut præter rem fuerit immorari nonnihil perscrutandis aliorum definitionibus, ut inde sumere probanda aut vitare minus satisfactia, liceat. *Hortlederus apud Goldast. in Polit. Imperial. part. 12. disc. 2.* & ex eo *Philip. Authens tractatu de Jure publico*, item *Speidelius Notabil. Jur. lit. C. n. 8.* Capitulationem describunt per legem imperii, qua Regimentum in imperatorem præscriptis conditionibus transfertur. *Limneus lib. 1. de Jur. publ. cap. 12. num. 13.* Quod sit Lex Germanorum Regia, seu Lex Imperii, quâ populi Germanici summum Imperium, in Imperatorem designatum, transfertur certis legibus & conditionibus. Idem in *Comm. ad capitulat. prolegom. Sect. 1.* mutatâ velut sententiâ, definit per Regulam à sex Electoribus, electo Regi Romanorum, salutis publicæ causa, præscriptam, & ab eodem receptam, potestatis suæ & administrationis Imperii; quam vi factæ promissionis & juramenti præstiti, exactè & inviolabiliter servare tenetur. *Francisco Irenico in Colleg. Jur. Publ. disc. v. pag. 32. part. 3.* est Lex Germanorum Regia S. Imperialis, quâ Imperii administratio, extra comitia, in peratorem & Regem Germaniæ electum, certis conditionibus deferretur, hæc fini, ne Status Reip. Romano Germanicæ, sub libertate Ordinum ac venerabili Cæsaris Authoritate florens, ullo modo turbetur ac convolvatur. *Dominus Gerdesius Prof. Gryphsvaldensis celebris in Disputat. de Legibus fundamentalibus Imperii Rom. Germ.* Capitulationem esse ait, Legem, Imperatori futuro regulam regimi-



giminis, juxta Reip. statum & Statuum libertatem præscribens, & tum formam Imperii, tum administrationis normam exhibens. *Dr. Sibrando Prof. in Academia Rostochiensis nobilissimo definitur, Dissert. Polit. legal. de Lege fundamentali.* Formulæ administrandi Imperii, ab Electoribus, eligendo Cæsari, totius Imperii nomine præscripta, quam vi juris jurandi servare tenetur. *Dn. Schützius Dissp. IV. Colleg. Jur. publ. per Legem Regiam Germanorum, qua Imperium in Regem Romanorum & imperatorem designatum certis conditionibus transfertur, per quas tamen nihil Majestati detrahitur, designat. Matthias Stephani Disc. Academ. 16. c. 2. per communem Reip. Sponsionem. Petrus Heigius quest. 2. n. 17. Curbach. ar. Arum. volum. 1. Jur. publ. disc. 35. th. 8.* Alii, verbis subinde aliis, sensu non discrepante.

## VII.

Bonas definitiones nervos esse Juris prudentiæ, fatetur *Dn. Praschius in Epist. dedicat. præmissio Tractatus de Privilegiis* Et verum omnino est, quod *Hobbesius Leviath. part. 1. pag. 17.* monet, ex definitionum erroribus duci paulatim lectores in conclusiones absurdas; quas etsi tandem videant, extricare tamen se non posse, nisi demum ab initio computare incipiant: Atque hinc apperare, quàm sit illi opus, qui ad scientiam veram tendit, antiquiorum Authorum definitiones examinare, negligentiusque scriptas corrigere, vel sibi ipsi novas constituere. Quamquam nobis jam non tantum sumamus, ut tradita excellentium virorum, quorum industriam æmulari optamus, censuræ nostræ subjici, posse aut debere, putemus. Nemini tamen probo invidiæ erit, si ad illorum se adjungat partes qui solidioribus ipsi pugnare videntur rationibus, & infimul dissensus causam modestè & citra insultandi libidinem indicet.

## VIII.

In definitionibus itaque inprimis videndum, ut apertè & perspicuè res doceatur, quæ *Aristotelis verba sunt, Analyt. poster. lib. 2. cap. 15. in princip.* alias, ipsæ sine controversia ineptæ sunt, propterea, quod definitionis natura in eo consistat ut ideam rei clarè exhibeat. Denique illa quæ causam habere posse intelliguntur aut  
habent.



habent, per causam & generationem definienda, veluti cum circulum geometræ definiunt esse figuram natam ex circumlacione lineæ rectæ in plano &c. quæque præterea circa genus & differentiam requirunt Logici hic tetigisse satis est. Etenim Lex in significato nempe primario & proprio, Imperii, dici nequit Capitulatio: quia non fertur à subjecto potestatem LL. ferendarum habente, quodque futuro Imperatori etiam invito possit obligationem impingere. Atqui in Imperio nostro Leges universales condunt Imperator & Status conjunctim. Et Capitulatio non obligat invitum ex potestate præscribentium, sed demum acceptantem vi promissionis & jurisjurandi. Hinc cum modernus Imperator eligeretur, unum ex primariis ejusdem Ministris sequentia profudisse verba, relatum extat in *Theatro Europæo: Part. 8.* Man wolte auff solche Art die Krone lieber lassen, und möchte man sehen ob sich zu dergleichen bedingungen ein Keyser finden würde. Idem testantur verba initialia ipsius Capitulat. *Das wir uns auß freiem Willen &c.* Ex quibus liquidò patet, si istiusmodi conditiones displicissent Imperatori, licuisse ei dignitatem illam recusare, aut certè Electoribus ostendere dictas conditiones, iniqui aliquid aut absurdi, continere. Nequaquam autem confundenda pacta sunt cum Legibus, quorum insignis differentia est. Est enim pactum, *promissum*, *lex mandatum*. In pactis dicitur, *Faciam*: in Legibus *Fac*. Pacto non tenetur, nisi qui suo se consensu obstrinxerit; lege autem obligamur, quia antea ejusdem Autori obsequium debeamus. vid. *Hobbes de cive c. XIV. §. 2.* & *Dn. Pufendorffum lib. de J. N. & G. c. VI. §. 2.* Ex his utputo manifestum est, incommodè Capitulationem describi per legem. Nam quod quidam disting. inter legem quæ obligat ex præscripto superioris & quæ ex conventionione stringit, nihil est, cum de quibus convenerit, non, nisi fortassis analogicè & latè leges dici mereantur.

## IX.

Regimentum ambiguè dicitur, adeoque definitioni minus accommodata vox est. Hausta nisi fallor, ex *l. unic. ff. pr. de officio Pref. Pretor.* & ut apparet de Magistratibus eò loci, intelligenda. Denique, sive strictè sive latè L. Regiæ terminum accipias, homonymi-



nymiam non vitabis, & rei comparatio cum L. Regia nihil habet simile. Per L. Regiam summa potestas conferebatur; per hanc imminuitur. Illâ libertate se sua populus abdicabat; hæc illam firmat. Illa semel lata duravit usque ad mutatum Imperium; hæc, quoties eligitur Imperator denuo præscribitur, & temporibus Reip. accommodatur. Illa ad potestatem; hæc ad potestatis normam sive exercitium pertinet. vid. *Dn. Strauch. Diss. exoter. p. 59. & Dn. Gerdesium Disp. de Legibus fundament. c. th. Ne memorem, quam incovenienter ipsa Lex Regia, legum fortè numero accenseatur, quod etiam licet alia ratione jam olim negavit Papius l. 1. Comment. Jur. civ. c. 16. n. 3. Cum, si necessariò & velut lege, accipere Augustus Imperium debuit, non Monarchâ sed Minister Romanorum factus fuerit. Multum certè interest inter Legem & Jus, uti & translationem juris. Reliqua Definitionum Limnæanarum vix quoq; sunt, ut tolerari queant. Summum imperium transferri aut accipi, certis LL. aut conditionibus, civilis scientiæ principiis repugnat, quod in subsequentiis clarius patebit cum de effectu agemus. Quid? quod ipsemet Limnæus postremò contrarium amplexus sit: ceu liquet ex iis quæ *Tom. 2. Addit. ad. l. 1. cap. 12. pag. 282.* contra Stamlerum prolixè disputavit. Regula demum nimis remotum nomen est, ut adeò generis vice fungi vix posse videatur.*

X.

*Francisci Irenici* definitio vereor, ne præter ejusmodi, alia quoque habeat parum sibi constantia. Quis enim diceret, Imperatorem tantum extra Comitiam administrate Imperium, aut extra Comitiam in omnibus solum? Nam hoc quotidiana refellit experientia. Quare illa: *in Imperatorem & Regem Germanie*, cum Imperatori quatenus tali, cum Capitulatione nihil negotii, quod postmodum patebit, cum de distinctione Imperii Romani & Regni Germanici, quædam adducemus. Ut ut fortè hoc nomen aliàs ferri possit, cum Reges Germanorum isto solo notari, usus introduxerit. Vocat Remp. nostram Romano-Germanicam, quod ut suo modo defendi potest,

B

est,



est, quia tamen in controversiam vocatur ab Italis, Gallis & etiam nostris scriptoribus nonnullis, partem definitionis facere non debuit ut in simili casu, scribit *Illustris Dn. Maurinus de Princip. Jur. Publ. Germ. cap. 2. th. 16.* Neque finis adæquata aut rectâ constitutio. Et turbari & convolvi Imperium potest, licet sanctissimè observata fuerit Capitulatio. *Dn. Gerdesius*, Capitulationem formam imperii exhibere, suæ definitioni inseruit. At Aristoteles non ex publicis Constitutionibus seu Legibus judicandam Remp. prudenter monet. *lib. IV. Polit. c. V.* Multum etenim sæpe numero diversa est administratio Reip. (in qua revera consistit status publicus) abs jure l. legibus publicis. *Rebuspublicis leges oportet conformare, & conformant omnes: non vero Respublicas Legibus.* Verba sunt *Philosophi 4. Polit. 1. sub. fin. Dn. Sibrando* placuit eam definire formulam vi jurisjurandi obligatoriam. Ast ut nihil de genere dicam, Pactum, si licitum sit, obligat per vim, legis naturalis, etiam sine jurejurando, neque Juramenta in se, novam & peculiarem obligationem producant, sed obligationi in sese validæ velut accessorium quoddam vinculum superveniunt. Semper enim dum juramus, supponimus aliquid, quo non præstito divinam pœnam in nos provocamus. Atqui ineptum hoc esset, nisi illicitum foret non præstare id, quod supponitur, adeo quod nisi jam ante obligaremur. Quanquam etiam non ideo supervacuum censendum sit jusjurandum, aut accuratè, more suo, observat *Excellent. Pufendorfus lib. IV. C. II. §. 6.* Tandem *Dn. Schützius* addit, nihil istis conditionibus Majestati Imperatoris detrahi. Sed quemadmodum illud superfluum erat addidisse, ita falsum quoque esse postmodum patebit. *Stephani* communem esse ait Reip. sponsonem, secutus sine dubio hac in re *Papinianum l. 1. ff. de legg. & Demosthenem, l. 2. ff. d. v.* Quibus etiam convenit definitio *Lycophronis* apud *Aristotele 3. Polit. 6. p. m. 168.* Cæterū ubi communis sponso, ibi comunis consensus adfit oportet, quam civitas habere intelligi non potest, quippe quæ una persona civilis est, unam habens voluntatem. Reliquorum quæ extant, facilè ex his dijudicabuntur.



Nobis commodissimum visum in definienda capitulatione attendere ad ipsius capitulationis generationem, quam quidem omnium optime discere licet ex proximo ejusdem, ubi sequentia habentur: *Dasß wir uns demnach aus freyen gnädigen Willen/ mit demselben unsern lieben Neven Oheimen und Churfürsten vor sich und sämtliche Fürsten und Stände des Heil. Röm. Reichs/ Geding und Pakt. weiß/ dieser nachfolgenden Articuli vereiniget/ verglichen/ angenommen und zugesaget haben.* Quod etiam repetitum legitur §. penult. dictæ Capitulat. *Capitulatio ergo (ut eam definiamus) est pactum designati Imperatoris, seu Regis Germanici, cum septem Electoribus nomine omnium Imperii, S. Regni Germanici, Statuum, de administratione ejusdem certis conditionibus initum, salutis communis gratiâ.*

*Dn. Burgeldensis Notit. Rev. Imper. R. G. part. III. D. VI. pag. m. 50.* negat quidem esse pactum, non aliâ interim ratione adductâ, quam quod in Responso quodam Electorum universorum Anno 1623. ad Cæsaris Propositionem d. 20. Jan. apud Lundorp. Tom. 2. lib. 6. c. 52. pag. 1068. Act. publ. eadem Lex fundamentalis dicatur. Cæterum constat aliter Oratorem, aliter Philolophum sermonem suum formare; Neque valde repugnem si quis illam Legem dicere velit sensu nempe latiori, quo aliqui Legem in genere, distinguunt in species analogas. Quæ de re infra, capite de Affinibus capitulationis, pluribus agemus. Præterea non est ut quis stylo talium scriptorum in re nudæ rationi subiecta, magnopere moveatur. Inanis etiam est subtilitas *Lampadii part. 3. c. 2. p. 38. de Rep. Rom. Germ.* qua persuadere conatur, quasi interventu Capitulationis inter Regem & Electores reliquosque ordines nulla fiat conventio: *Ecquid enim conventionis est, inquit, si de re mea tibi indedita non danda paciscerer? Ecce vendo tibi feudum, tertia parte detracta: numnam de parte, neque vendita neque tradita, convenisse judicabor?* Enimvero quod dicitur, ubi de re



non debita non transferenda agatur, ibi non esse conventionem, id verum haecenus est, ubi plane nihil agimus, ubi de nulla re commutanda à transferenda negotium est. At ubi agitur de eo, quid & quantum indebitum esse debeat, seu de re non integrè transferenda, vel ex omni sui parte commutanda, ibi utique ex diversis animi motibus in eandem sententiam decurritur *l. 1. ff. de pact.* Nunc a. Electores concipiendo Capitulationem id agunt, ut quod Imperator alias potestatis habiturus esset, non habeat, inque id non habendum, acceptando Capitulationem, consentiat. Et vero, ut omnis negativa enuntiatio indicat oppositam affirmativam, ita limites omittere simul definiunt agendi libertatem, atque constituunt pariter quid agi debeat cum aliter agi posset, vide pluribus *Dn. Conring. in not. ad Lampad. part. 3. c. 2. §. 12. Dn. Strauch. Diss. exoterio. Dn. Fibig. semid. Elect. Jur. publ. V. quest. IV. & VI. quest. 1.*

XIII.

Nos quamobrem per pactum definire Capitulat. voluerimus in aprico est. Ubi enim duo l. plures ex diversis animi motibus in unum consentiunt conventionem sive pactum esse scribit Ulpianus *l. 1. §. 2. & 3. de pactis*, & pactum nolle agnoscere, ubi extat mutua promissio, circa præstanda ea, quæ antea erant indebita, absolum efficit. Et ut in hypothese loquar: Inter Imperatorem & Status conventum in delatione Imperii utique est, ut ad certas LL. Imperium gerat ac super negotiis, circa quæ absoluta disponendi potestas ipsi non est relicta, ad Consilium omnium vel Electorum saltem referat. Status vicissim ipsi obsequium promississe intelliguntur, quatenus Imperium ipsius ad Capitulationem congruit, idque specialius etiam, quando Homagium præstant. Quis hunc actum ex pactorum classe velit excludere? Sumimus autem jam pactum sensu speciali pro illa conventionis specie, quæ opponitur contractui *l. 6. junct. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 10. §. 1. C. eodem l. 1. C. de pact. conv. tam sup. dot. destituta nomine & causa*; quod ita interpretari solent Romani Juris interpretes destituta vi intrinse,



trinseca ad obligationem civilem & actionem efficaci l. 7. §. 1. &  
 2. ff. de pact. l. 6. eod. Struv. Synt. Jur. civ. Exerc. VI. th. VI. quan-  
 quam ut hoc obiter addamus, nobis paulò commodius cum  
 Clariss. Puffendorffio lib. V. de Jur. Nat. & Gent. c. 2. 14. videatur,  
 discrimen pactorum in specie, & contractuum ab objecto pe-  
 tere; sic ut contractus vocentur, qui versantur circa res & a-  
 ctiones in commercium venientes, adeoque dominia & pre-  
 tia rerum præsupponunt; quæ circa alia ineuntur, communi  
 pactorum nomine censeantur. Et si ex hisce quibusdam  
 promiscuè pactorum & contractuum nomen tribuatur. A-  
 liam differentiam affert Hobbes. de cive. c. 2. §. 6.

## XIV:

Quamvis nos illorum hæresis haud teneat qui credunt Re-  
 gnum Germanorum in antiqui illius Romani Imperii vicem  
 subiisse, & hoc in illo continuari; distinctionem enim utrius-  
 que satis arguunt distincta coronatio & peculiaris Comitatus;  
 tamen cum hæc creditum fuerit in vocabulo Imperato-  
 ris, ob amplitudinem antiqui istius Imperii, eximii quid inesse  
 splendoris, & hinc Reges Germanorum isto solo nomine no-  
 tari frequens sit, consueto aliis quoque gentibus more à no-  
 biliori sive potentiori denominationem accipientibus, exem-  
 plo confederati Belgii, quos Hollandorum nomine appellari  
 universos constat, idcirco nolimus hac in parte ab usitato  
 loquendi modo recedere, ita tamen ut explicationis loco Re-  
 gis Regnique Germanici juxta mentionem faceremus. Bene  
 etenim Trithemius libro de Orig. Francor. si quædam tantum ex-  
 cipias. Rex, inquit, Germania quicumque pro tempore fuerit, duo  
 habet, Regnum & Imperium. Ad Regnum per Principes eligitur, &  
 nullius confirmatione indiget; ad Imperium vero, quod est regno jure  
 annexum per Pontificem Romæ confirmari debet & ungi. vid. plura  
 apud Dn. Comring. lib. de Germanorum Imperio Romano. item Con-  
 sultiss. Dn. D. Martini Prof. hujus Academiæ celeberr. fautorem  
 meum certissimum in Disputat. de Proedria Reg. Germ. §. 14. & seq.  
 item tract. contra Auberium cap. 2. & 3. & Pacificum à Lapide Nor.  
 in Monzamb. Disc. VI.



Quæ præterea in ipsa Definitione explicanda super sunt sequentia exhibebunt capita, restat ut inquiremus in originem capitulationum. Antequam autem illud faciamus methodi ratio exiget subnectere huic capiti divisionem Capitulationum. Et commodè possis eas generaliter ita distinguere: quod aliæ summam potestatem minuunt; aliæ non. aliæ perpetuæ sint; aliæ mutabiles. Aliæ tacitæ, aliæ disertis expressæ verbis. Aut novæ item aut veteres. Scriptæ denique sive non scriptæ. De cætero Capitulatio, quâ jam nobis argumentum dissertationis est, divisionem admittit nullam. Est enim species, quam logici vocant, *μοναδική*.

## CAPUT II.

## DE

## ORIGINE CAPITULATIONIS.

## I.

**C**ivitatem omnem pactis constitui & contineri nemo cui rerum civilium est intellectus, negaverit. Neque heic sufficit dixisse, hominem per naturam rari ad societatem civilem, ut citra eam nec possit nec velit vivere. Constituitur autem civitas regulariter, ut profundè docet *Dn. Pufendorff. libro de Officio hominis secundum legem naturalem cap. VI. §. 1. & de Jur. N. de G. lib. 7. cap. 2.* duobus pactis unoque decreto. Primum est, cum multi naturali libertate gaudentes, inter se singuli cum singulis pactum ineunt, quod velint concives mutuo fieri. Post isthoc pactum oportet ut decretum fiat, qualis forma regiminis sit introducenda. Post altero demum pacto opus est, quando constituuntur ille vel illi, in quem l. quos, regimen nascentis civitatis confertur. Solet autem illud fieri l. absolutè, h. e. ita ut jus ipsum summæ potestatis transferatur in Imperantes; l. restrictè, nempe ita, ut jurium summæ pote-



potestatis exercitium l. perpetuò l. ad tempus regen-  
tibus cives concedant. Illustrantur hæc per illa quæ circa  
constitutionem Regni Romani memorat *Dionys. Halicarn. l. 2.*  
*sub init.* item Venetorum Reip. origine. Atque hæc quoque  
circa originem Capitulationum in genere pro instituto suffi-  
ciunt, reliquum est ad specialiora ut progrediamur.

## II.

Ortas primum Capitulationes sub turbulento Henrici IV.  
Imperio, deinde tractu temporis magis magisque auctas, donec  
in eam quæ hodiè est amplitudinem excreverint, testatur  
*Hortlederus* apud *Goldastum* in *Polit. Imperial. part. 12. disc. 2.* *Ar-  
maustom. 4. Jur. publ. disc. IV.* ad Conradum I. Imp. cum Impe-  
rium cepit esse electitium, originem refert. Cui etiam consen-  
tit *Dn. Carpzovius cap. 1. n. 18. de Leg. Reg.* Alii sub Ludovico Ar-  
nulphi filio, illas natas asserunt. ut *Sprenger. Jurisprud. publ. pag.*  
*m. 127.* *Dn. Oldenburgerus* in *Limn. enucleat.* ad Caroli V. tempora  
ortum refert. Neque ante Carolum V. aliquod exemplar Ca-  
pitulationis lucem adspexisse, & quæ producuntur subleste  
esse fidei. *Dn. d. Monzambano* ait. *cap. V.* idem plerisque hodie-  
ni juris publici scriptoribus persuasum esse. *Excellentissimus*  
*Dn. Mauritius* in *Collegio ad Dan. Ottonem*, olim differebat, super-  
esse tamen ex veteribus Caroli M. cujus ætate quoque cape-  
rint. Reliquas incertæ esse fidei. Cum quo consentit *Leb-  
mannus Chron. Spir. lib. 4. cap. 10. p. m. 300.* qui addit, loco capi-  
tulationis juramentum in usu fuisse. *Goldastus* cum imperio  
ipso Germanorum extitisse capitulationes, l. quid instar ea-  
rum, cui ad stipulatur *Limn. a. Capitulat. prolegom.* autumat.

## III.

Antequam nostram mentem aperiamus, breviter rationes  
singulorum perpendemus. *Hortlederus* quidem ex Brunone  
Saxone ita se colligere ait. Sed diversum ex ipso Brunone in-  
fra deducemus. Et si probatum fuerit, fuisse jam ante Henrici  
tempora capitulationes, aut aliud quid simile, nihil certè egit.  
Fatendum utique est, mixtam illam ex electitia & hæreditaria

saluber-



saluberrimam succedendi rationem, majore solito introductâ eligendi licentiâ, primum corrumpi cœpisse Henrico IV. Imperante; idque indubiè instinctu Gregorii VII. Papæ, cujus intererat, Imperii temp. priscis Legibus, quibus hætenus steterat & sine quibus stare non poterat, conculcatis, pessumdari. Adeoq; probabile est, non nisi in certas leges seu conditiones demum admissos Imperatores. At fortè ex illis turbis nihil aliud præsumas, nisi insigniter tum temporis auctas. Et illa sententia, quæ Conradi I. temporibus patrocinator, non alio sanè testimonio nisi conjectura nititur. Ad potestatem Monarchicam quidem nihil inter est, successione an electione quis acceperit Imperium, neq; insolitum Reges etiam hæditarios certis teneri promissorum capitibus. *vid. Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 10. Sprengerum certè deficit & auctoritas & conjectura.* Subtilior illorum opinio est, qui ante Caroli V. tempora capitulationes fuisse negant, quorum rationes exhibet *Limn. ad Capitulat. Comment. in prolegom. (1.)* Neque enim in A. B. toto capite secundo de elect. Reg. Rom. ullam earum mentionem fieri. Decernere quidem confirmationem jurium omnium & privilegiorum §. 5. d. c. Atqui hoc esse distinctum à capitulatione. Fieri quippe hanc confirmationem Imperio jam suscepto non suscipiendo, secus ac in Capitulatione. Deniq; approbationem hanc jura tantum Electorum concernere; capitulationem reliquorum etiam Statuum. Accedere, quod nullus vel Caroli IV. vel succedentium Imperatorum capitulationes exhibuerit. Meminisse quidem Goldastum Maximiliani I. referreq; ejus compendium *part. 1. Constitue. Imperial. pag. 351.* sed fateri ipsam, mutuatum se eam à *Sleidano & Laurentio pag. 315.* Fuisse olim inter Maximilianum & Status Wormatiæ Anno 1590. disputatum an Imperatori licuerit Imperii respectu, fœdus contra Venetos cum aliis inire, & provocasse status non ad Capitulationem, apud *Goldast. d. l. pag. 85. & 89.* cum tamen illa quæstio decisa fuerit in Capitulationis illius articulo VIII. Imo ipsum Goldastum disertè contrarium asseruisse *d. l. pag. 88.*



Cæterum conatur etiam Limæus citato loco hisce difficultatibus satisfacere. Nimirum, non necesse fuisse ut facerent mentionem capitulationis: Non sequi, non sunt cognitæ ergo non extant: placuisse statibus provocare ad consuetudinem, quâ fortè ipsa capitulatio tum temporis continebatur; neque positionem unius esse exclusionem alterius. Quibus quoq; addi possent hæc: Argumenta illa quæ à silentio Auctorum objiciuntur, firmo adeo talo non consistere, & nota esse, quæ cum Thiersio contra vim negativi argumenti in hoc certaminis genere disceptant alii vid. *Dn. Mauritius Disp. de orig. Elect. cap. 1. th. XI.* Item, distinguendum esse inter rem & modum rei. Olim forte juramento rem totam peractam, & cum diversa in capita juratum fuerit, non incommode illis juramenti nomen nunc usitatum tribui posse. Sufficere ad esse Capitulationis, de aliquibus variis capitulis pacisci. Incrementum denique non existere simul cum initio. Quæ num satisfaciant lectori, in medio relinquimus. Nunc annitemur nostra distinctius proponere.

## V.

Ut nunquam Germanicis Regibus exceptis fortè Suionibus & Guthonibus infinita aut libera potestas fuit. *Tac. c. VII. de mor. germ.* ita indubiè nunquam non admissi quoque sunt in certas Leges seu pacta, eaque si non expressis verbis concepta, saltem consuetudine observata & recepta de cujus rei antiquitate etiam meminit *Munsterus* in sua *Cosmographiâ*, cum dicit, inter veterrimas Germaniæ LL. hanc aliquam fuisse, ut Cæsar sese firmiter Imperio obligaret, ac moderationem certam regiminis repromitteret, cum primum rerum gubernacula susciperet. Neque Carolinorum regum, sub quibus in unum Systema Germania coaluit, potestatem omni modo fuisse absolutam, testatur *Lehmannus Chron. Spir. lib. 2. C. IV. V. & XXXIX.* cum in constitutionibus publicis Imperii ordines, prudentiores regni, patres, fratres, amici, fautores & coadju-

C

tores



cores gloriæ appellati sint. Eoque nemo sibi persuadeat, inquit celeberr. *Dn. Coring. Annotat. ad Lampad. part. 3. c. 2. §. 1.* legitimi quæ nunc obtinet regni formam, nostra demum ætate cepisse: etsi olim majorem nonnihil Regum auctoritatem fuisse haud equidem negaverim. Quemadmodum sane Ordines Imperii hodiè membra sunt audiuntq; regiminis publici, ita & olim fuere. Hinc *Capitular. l. 2. c. 2.* Ludovicus Pius Caroli M. filius in hæc verba Regni proceres alloquutus est: *Quanquam summa hujus ministerii (ita appellat munus regendi r. imp.) in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum, partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet, quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & vos omnes nostri adjutores esse debetis. Neque enim ignoramus quid unicuique in sibi commissa portione conveniat, & ideo prætermittere non possumus: quin unumquemque juxta suum ordinem admoveamus.* Ejusdem etiam notæ est *Capitulum XII.* Imò ipsum Carolum M. dispositionem suam testamentariam inter liberos, ordinibus obtulisse ut approbaretur, scribit *Autor Comitiologie pag. 6. ex Strab. Fuld. in Annal. Franc. Aldhelm. Bened. in Annal. Franc. quos allegat Goldast. ad dict. constitut.* Nullo autem indicio colligere est, admissos illos aut sub conditionibus verbis disertis expressis, multò minus scriptis aut novatis. Nihil ergò restat quam ut dicamus, & verosimilè idem sibi videri Magnus scribit *Conringius in addend. ad Annotat. Lamp. pag. m. 267.* si non semper, saltem ordinariè, Reges in observantiam duntaxat aliquam communem LL. & consuetudinum receptarum creatos & admissos esse. Contenti nimirum generalibus Imperatorum promissis de servando jure & libertate, nec non consuetudine Imperii, non exegerunt prolixas formulas. Juramentum pro Capitulatione erat: Bona fide magis quam charta freti. Satis habentes ea stipulatione quæ firmaret usum, in quo res consistebant; ut loquitur *Dn. Gerdes. Disp. de LL. fundam. Imp. Germ. th. 18.* Præterea moribus veteris Germaniæ, receptam quandam ex hæreditaria successione & libera electione mixtam constituendorum Regum rationem, jam antè dictum, & perlegenti Hi-



ti Historiæ Germanicæ scriptores, ita tum electos videre est Reges à Principibus, ut, si ex stemmate ejus qui proximè obiisset, non deesset qui munerit tam arduo idoneus videretur, ejus semper præ cæteris haberetur ratio. *Dn. Mauritius Disp. de Orig. Elect. lib. 1.* Ne dicam, quod Hottomannus & illo tempore simpliciter electioni locum fuisse, in Francogallia suo non uno loco, moneat. Cum quo facit *Lekmannus Chron. Spir. lib. 2. cap. 3. & lib. 5. cap. 17.* ut & *Hugo Grotius* indicante *Dn. D. Martini contra Auberium pag. 53.* quanquam ludere hos imagine & simulachro electionis, summus *Bæclerus* censeat *Notit. Imp. pag. 48.* Nobis quidem arbitrium hujus disputationis præcisè non sumimus, & dissimulare non possumus, videri quidem Regnum Francorum ex successivo plusquam electitio genere traxisse, illud interim quoque verum putamus, consensum populi procerumve in tali mixta Regum constitutione, ubi nempe regulariter quidem ad defuncti filios regnum devolvitur, ut tamen populi, procerumve consensus initio interveniat, non nudam inaugurationis aut præstationis homagii, sed vim velut suffragii negativi habere. Ut: si populus in autorem familiæ regnatricis, imperium hac lege contulit, ut idem in posteros quoque transmitti retur, dummodo regno non sint futuri inepti. Igitur in talibus regnis populus aut proceres conveniunt, non tam ut regem eligant, quam ut declarent, nihil se in filio reperire, quo minus patris successor esse queat. Enim vero, ut genio ambitionis humanæ cuivis homini infixæ adversus dominationē alterius averfatio est; ita si in sua potestate positum non sit eam in totum à se amoliri, saltem si fieri poterit eo connitetur ut valida obligatione atque vinculo illam ita circumscribat & constringat, quò necesse non habeat aut in perpetuo mortis metu versari (dum reputat secum, posse eum qui absolutè imperat, non modo pœnas quas velit, in quæ velit peccata constituere, sed etiam cives innocentes ex lubricine jugulare) aut etiam superior, aliàs de summa rerum quidquam pro lubitu disponere queat. Hinc evenit, ut in regnis, ubi interveniente electione imperium defertur, tantum non semper ejus exercitium certis limitibus soleat circumscribi, dum ad



certas leges circa administrationem partium Imperii in delatione regni, regem adstringunt. Quod idem Germanis, generosa & libertatis studiosissima genti placuisse, non est quare dubitemus. Quia probabile est, juramento quod ab omnibus ferè Regibus Christianis præstari solenne habetur, maturè per Proceres Germaniæ hanc quoque clausulam fuisse insertam, quod Rex velit jura omnium & singulorum Germaniæ civium tueri, & laudabiles & receptas in Imperio consuetudines observare.

## VI.

Singula verò capita, quo tempore cœperint, aut adjecta fuerint, dici non potest. Ea enim quæ paulatim irrepere solent vix percipiuntur, nec nisi conversione secuta sentiri solent *Bod. l. 2. de Rep. c. 6.* neque tanta istorum temporum diligentia fuit, ut hæc posteritati annotaverint, aliorum etiam majoris momenti, incuriosi. Dicas ergo: semper quidem certis conditionibus, promissis aut Legibus quamvis generalibus paucisque & fortè in scripturam non redactis Regnum accepisse Germanorum Reges, mutatis auctisve subinde articulis. Cuspinianos in vita Conradi conditionis alicujus meminit. Cum Rudolpho Suevo contra Henricum IV. Cæsarem, novam aliquam, & hæctenus insolitam factam conventionem, de refutatione omnis successionis hæreditariæ, observavit *Dn. Conring. in Add. ad Annotat. Lampad. pag. m. 267.* teste usus Brunone cujus verba ex libro de Bello Saxonico refert sequentia: *Hoc etiam ubi consensu communi comprobatum, Romani Pontificis auctoritate est corroboratum, ut regia potestas nulli per hæreditatem (SICUT ANTE FUIT CONSUETUDO) cederet: Sed filius Regis etiam si valde dignus, per electionem spontaneam, non per successionis lineam Rex veniret: Si vero non esset dignus Regis filius, vel si nollet eum Populus, quem Regem facere vellet haberet in potestate Populus.* Idem hic refert, quam multæ conditiones regnatura Rudolpho à Principibus fuerint propositæ, licet censuerit Legatus Pontificius satis esse, si universis justum se promitteret. *Is demum legaliter constituit Rudolphum electum Regem Moguntiacum cum magno hono-*



*honore deduxisse.* Ex quibus laudatus Dn. Conringius conjecturam facit, cum Rudolpho novam omnino initam Capitulationem, eamque scripto (hoc enim videri esse illud *legaliter*) comprehensam. Cum Ottone IV. quas speciatim in Leges fuerit conventum, docet epistola quæ de facta illius electione recitatur à Cardinale *Baronio* & Apologiæ pro Ottone IV. à *Meibomio* est inserta. Et alias postmodum conditiones dissette esse conceptas haud obscure prodit Aurea B. Carol. IV. c. 2. §. 3. quæ ipsa ut aliæ quoque LL. usu primò obtinuisse, & postea secundum illum scripto comprehensa videtur Dn. *Textori de Rat. Stat. Germ. cap. XVI.* Præter hæc de Capitulationibus antiquioribus sive promissis & pactis regum Germanicorum nihil esse proditum aperte fatetur Dn. *Conringius in Annot. ad Lampad.* Sed & non improbabiler inde videtur disputari posse pro illa sententia quæ capitulationis initium, sive constitutio ea fuerit publica sive consuetudo, ejusdem cum Regno, nostro ætatis esse, censet. Quam amplexus olim est *Limn. de Jur. publ. c. 12. n. 17. & in prolegom. Comment. ad Capitulat. & veriore* judicabat Celeberrimus Dn. *Mauritius in Colleg. ad Otton. privato. item Dn. Textor de Rat. Status Germaniæ. cap. 18. pag. 574. & Dn. Conringius in Annotat. ad Lampad. part. 2. c. 2. §. 1. & in addendis ad Annotat. pag. 267.*

VII.

Neque est quod contrarium alicui persuadeant aliquorum objectiones, si præter illa quæ jam diximus, distinguas inter Capitulationem absolutæ potestati derogantem & subordinatam. Hæc corruiat *Arumai* objectio, dicentis: refutari eos ipsa Jurisjurandi formula, qui ad Carolum M. initia Capitulationis referant. Etenim cui non satisfaciunt illa quæ habet *Franciscus Irenicus Colleg. Jur. publ. part. 3. pag. 126. & 127. Distingue inter Capitulationes obligationem merè naturalem continentes; & Capitulationes quæ obligationem civilem LL. fundamentalium, ad statuta & formam Reip. pertinentium important, hinc ad questionem de origine Capitulationum, ita respondendum: quod prioris generis Capitulationes tempore Caroli M. jam obtinuerint; Posterioris verò ori-*





ginem cum Arumæo ad Conradi I. tempora; ubi electio cœpit; augmentum cum Hortlederero ad Henrici IV. & seqq. maximumque earum incrementum ad Caroli V. & successorum tempora, referenda. Quod ille autem addit, verosimile non esse, cum Caroli Imperium fuerit hæreditarium, eum LL. sibi scribi passos, leve est. Equidem vocasse illud in dubium viros perquam eruditos jam notatum: & utut hæc concederentur, nequaquam tamen connexio firma esset. *vid. Grot. lib. 1. cap. 3. §. X. in fin. Carpzovius Jus eminentissimus ad L. Reg. cap. 1. §. 8. originem Capitulationum idcirco à Caroli M. tempore petendam non cenlet, quod teste Aventino lib. IV. Annal. Populus Romanus omne jus ac potestatem suam in ipsum contulerit & ipse sibi successores constituerit, Eginhardo in vita Caroli M. teste. Idem fecisse Ludovicum P. ejusque posteros usque ad Ludovicum Arnulphi filium. Cæterum quod primum attinet, alia certè est ratio successionis regie per Germaniam, alia Cæsareæ. Cæsarea enim in eo collocata est, ut Germaniæ ac Italiæ Rex perpetuò idem sit & Imperator Romanus. Id quod conventum primò est inter Papam populumque Romanum ab unâ, & Ottonem M. proceresque Germaniæ ab alterâ parte: ceu accuratè demonstravit Covringius lib. de Germanorum Imperio Romano c. X. Ut Regiam autem in Germania nostrâ successionem, quemadmodum illa sese habuerit, accuratè teneamus, necessum est oculos flectere ad historiam priscam regum Francorum: quãdoquidem regnum Germanicum veteris Francorum regni portio quædam est hodieque superstes. Ast & illud falsum esse, Carolum M. jure hæreditario i. e. in prolem transmittendo adeoque perpetuo, accepisse Imperium eruditè demonstrat Dn. Martini in schediasmate adversus Auberium cap. 3. & ad illud, quod Carolus M. ejusque filius ac nepos ita liberè de Imperio ejusque rebus disposuisse legantur, solidè respondet. Possset fortè quoque objici, confundere nos omnino Juramentum cum Capitulatione, cum tamen hæc inter differentia sit satis aperta. Et Ferdinando I. in Regem Rom. electo, præstandum fuisse juramentum Anno 1531. post abdicationem tamen Caroli demum exhibitam ei esse Capitulationem, quam*

ob-



observare promiserit *Anno 1558.* At duplici modo considerari potest juramentum: primo, ut obligationi velut accessorium quoddam vinculum supervenit; vel ut sæpe uno sermonis complexu comprehenditur & principalis obligatio & vinculum jurisjurandi accessorium v. g. si dicam: ita me Deus adjuvet, ut ego centum tibi dem. Ut posterior antiquis, ita prior modus sequentibus temporibus in usu esse cœpit. Uti que etiam juramentum in se spectatum ab ipso promisso differt. Quin autem promissioni æquè cui juramentum inest, ac cui supervenit, capitulationis competere nomen queat, hactenus non videmus quid obstet. Neque interest juramentum præcedat an sequatur pactiorem.

## CAPUT III.

DE

## CAUSA EFFICIENTE CAPITULAT.

I.

**N**on duntaxat ante Fridericum II. Imperii Ordines omnes ad electionem admissos (plerosque tamen nominandi Imperatores præcipuos autem eligendi ergo, teste *Amando, Friderici I. Secretario, libro de primis actis à Friderico in Imperio peractis; item Wberto Conradi III. Imperatoris Capellano de electione Lotharii II. quemadmodum eos citat Dn. Mauritius in Disp. de Orig. Elect.*) *Dietmari, Wipponis, Ottonis Frisingensis* ac aliorum auctoritatibus liquidum est. Sed ipso etiam curante, electi sunt in Comitibus Regni publicis filii ipsius, primum quidem Henricus *Anno 1222.* post alter Conradus *Anno 35. & 37.* Primus omnium per solos officiales Imperii, uti tum audiebant, electus scribitur contra Fridericum, Henricus Landgravius Thuringiæ & mox Guilielmus Hollandiæ Comes. Itaque deinceps comitia illa soli septem viri constituerunt, & nominatio sive prætaxatio (uti ea ætate loquebantur) quoque

Juris;



Juris illorum facta, quantum conijcere est artibus Papæ (è cuius re videbatur penes paucos potius quam universos omne eligendi jus esse, utpote qui facilius possint ad nutum suum componi) *Godfrid Colon. anno 1218. & seq. Thom. Fazel. l. 18. de rebus Siculis Matth. Paris. Anna. Suev. Platina Chron. Aug.*

## II.

Cum denique cum Carolo V. ejusque successoribus in alias plane conditiones easque scripto comprehensas, convenire visum esset, cœperunt quoque earumdem conscriptionem Electores cum eligendi jure, sibi solis vendicare. Conquestos hinc Principes reliquos, quod in re tanti momenti excludantur, jam post Rudolphi II. obitum, dum eligeretur Matthias: & quaestionem illam motam fuisse. *Ob die Chur-Fürsten be-mächtigt inconsultis reliquis statibus, Cæleri eine neue Capitulation vorzuschreiben / weil die alten Compactata cum consilio statuum auffgerichtet / Londorpius act. publ. tom. 2. lib. 3. tract. 2. pag. 639. testatur.* Esse enim Capitulationis præscriptionem velut partem legislationis, distinguendam omnino ab electione: Iterata hæc querela in tractatu pacis Westphalicæ, ubi demum de perpetua, communi consensu concipienda, constitutum. *Instrum. Pacis art. 8. Habeantur autem &c.* Denuo quaestio illa in Comitibus Ratisbonensibus d. 16. Maj. anno 1653. in Principum senatu agitari & revocari cœpit, quæ tamen satis diu examinata, Pontificiæ religionis Principes Evangelicis respondisse ferunt; quod Electores competente hoc in casu, nihilominus jure suo usuri, nec quicquam præscribi sibi permissuri essent; si quid autem haberent quod movere vellent, illud libero ipsorum arbitrio relinqui. Ita votorum pluralitatem Principes pontificios obtinuisse. *Comitologie Ratisbonensis Autor part. 4. Dissert. ult. post. Capitulat. Ferdin. IV. n. 6. seqq. pag. 3. & seq. tradit.* Adeo, ut, ne Principes huic se negotio tum temporis immiscerent, Electores à Comitibus Ratisbonensibus Augustam Vindelicorum secedere, ibidemque Ferd. IV. eligere, maluerint, notante eodem. *part. 2. Diss. 1. n. 22. pag. 70.*

## III. Cæ-



## III.

Cæterum cum *Rec. Imp. de Anno 1654. §. wann aber bey erstgemeldter. Capitulationis præscribendæ modum, rursus secundum Pacis Instrumentum perficiendum esse, constitutum fuerit; monita quoque circa Leopoldinam Capitulationem à Statibus reliquis concepta & die  $\frac{17}{27}$  April. Anno Christ. 1658. Electori Moguntino communi Principum nomine oblata sunt. Quorum tamen ab Electorali Collegio susque deque habitam rationem, testatur Protestatio quam Directorio Moguntino scriptam, Legati Statuum 8. Aug. Anno 1658. exhibuerunt, ubi postquam admonuissent, se mirari, quare circa præcipua quædam non leve discrimen reperiatur inter Capitulationem manuscriptam quam ipsi à Directorio acceperint, & typis vulgatam: pleraque quoque monita neglecta, inserta autem alia quæ in detrimentum Statuum vergant, perhibent. Quæ cum Imperii constitutionibus, Instrumento pacis & æquitati adversa sint, se rem perscripturos ad suos Principes: interim eorum nomine protestari iisque contradicere, nec Cæsareæ Capitulationis illa capita, quæ cum monitis aut Instrument. Pacis pugnant, pro publica lege haberi posse: wollen die Keyserl. Capitulation, in so weit dieselbe mit mehrerwehnten monitis nicht einstimmet / oder dem Inhalt des Instrumenti Pacis ungemäß ist / pro Lege publica nicht gehalten haben. Sed reservare principibus suis jus componendæ simul in proximis comitiis, Capitulationis perpetuæ. Monita ipsa apud *Autorem der Grundveste des Heil. Röm. Reichs part. 3. cap. 3. pag. 208. & Lampad. in solitichen Reichshändlen pag. 143. & seqq.* legi poterunt. Ubi insuper notandum, pessimè omnino habuisse Principes, conclusa sua monitorum nomine accepta, si fides habenda Authori.*

## IV.

Differre tamen Ferdinandeam Leopoldinamque Capitulationem non una parte, ab iis, quæ ante Instrumentum Pacis constitutum, confectæ sunt, ex Ferdinandi IV. articulo VII. &

D

Leo-



Leopoldi modernis Imperatoris invictissimi art. X. patet, ubi præter Electorum consensum, Statuum quoque requiritur, nisi necessitas aliud postulaverit. Et in principio & clausula, Imperator, non solum Electoribus, sed omnibus Imperii statibus disertè fidem suam juramento firmat & adstringit, quod quidem Antecessorum neminem, collatis utrinque instrumentis fecisse, clarum fiet.

V.

Etsi illud fortè dici nequeat, quod *Autor Comitiolog. Ratisb. de Anno 1654. refutatus* eo nomine ab *Autore der Grundveste des Heil. Röm. Reichs part. 3. cap. 3. pag. 217. & Dn. à Reichlingen, in Disputat. Altorfi habita de Jure Principum, Electorum th. 33.* putant, Ferdinandi IV. ac Leopoldi Capitulationem, modo instrumento Pacis conveniente, conceptas; illud tamen manifestum est, esse Leopoldinam disertè nomine omnium Imperii Principum conceptam, quod *Excellentissimus Dn. Mauritius, quondam in Disputat. de Citatione ad reassumendum th. II.* asseruit, & ego olim sub illius præsidio defendi, contra secus sentientem *Dn. Oldenburgerum, qui in notitia rerum Imperii part. 3. disc. V.* idcirco ante laudatum *Dn. Mauritiū* perstrinxerat. Putans ex actis Imperii publicis defendi illam assertionem non posse. Acta publica ad quæ provocaverat, Monita & Protestatio Statuum erant. Nos vero putabamus esse hic distinctionem aliquam faciendam, inter illud, quod nomine alicujus & quod ex mente ejus fieri dicitur. *arg. l. 10. C. de Procurat. & l. ult. C. de negotiis gestis, cujus distinctionis exemplum clarissimum refert Thuldenus Hist. Europ. part. 4. lib. 2. pag. 159.* At ille nondum contentus, in Collegio Juris publici quod sub Francisci Irenici nomine edidit, repetit hanc controversiam, & ad nostra quædam regerit. Abs re non erit, & quid nos sentiamus dilucidius exponere, & simul in objectiones viri doctissimi, inquirere. Nititur autem sententia Illustris Mauritiū, auctoritate & testimoniis adeò claris, ut quid solidi in contrarium dici possit, vix invenias. Conscriptam enim Capitulationem nomine omnium Imperii statuum, in fine ipsius Capitula-



pitulationis clarissimè indicatur: daß wir uns demnach aus  
 freyen gnädigen Willen/ mit demselben unsren lieben  
 ven/ Oheimen und Chur- Fürsten vor sich und sämtliche  
 Fürsten und Stände des Heil. Röm. Reichs/ geding und  
 Pact-weise/ &c. quod repetitum legitur §. penult. Solches  
 alles &c. Esse verò ab Electoribus monita vel neglecta quæ-  
 dam vel denique aliter ac principes reliqui voluerunt posita,  
 utut concedamus; non tamen quidquam aliud inde sequi-  
 tur, quam quod ipsa distinctio voluit, neque adeò plus est in  
 verbis quam rei veritate. Sed inquit, quomodo hoc potest  
 nomine alterius actum dici, de quo quis nullum mandatum  
 habuit? At, non ne negotiorum gestor nomine alterius agit,  
 cum nullum habeat? Imo, quid prohibet saltem ex conven-  
 tione nomine alterius agere? Instat: An Principes & Status  
 in hoc negotio conficiendæ Capitulationis, nomine suo dede-  
 runt mandatum? Illud vero non necesse erat, cum vigore  
 Instrumenti Pacis, articulo VIII. Electoribus nomine & con-  
 sensu statuum Capitulationem concipiendi, potestas esset,  
 quod ipse firmissimo, ut ait, argumento in *Colleg. Jur. publ. pag.*  
*137. part. 3.* probat, & quid status capitulationi inseri vellent,  
 monita eorundem significarent. Denique quis ignorat con-  
 sensum committentis exprimi etiam negativè *l. 6. §. 2. l. 18. l.*  
*35. ff. mandati l. 6. C. eodem.* Pergit: Monita insinuarunt Do-  
 minis Electoribus, non mandatum. Idem ferè cum priori.  
 Monita explicabant, quid vellent ipsi futuro Imperatori inter  
 alia præscribi, cum scirent, agi hoc jam vigore Constitutionis  
 & conventionis publicæ, publico totius Imperii nomine. Ul-  
 timo urget, quomodo id nomine alicujus gestum dici possit,  
 contra quod expressè potestatio interposita? Hic, siquidem  
 voluisset, nostrâ adhibitâ distinctione rem expedire potuisset.  
 Nimirum, Monita insinuarunt & protestati sunt reliqui staty,  
 non de capitulatione sed circa capitulationem aut quædam e-  
 jus capita: neque omnis vis Capitulationis Leopoldinæ, pro-  
 testatione reliquorum ordinum, reddita est irrita, *Conring. ad*  
*Lamp. pag. 195.* Opposuerunt se isti Capitulationi uti tradit  
*Auctor der Grundveste des Heil. Röm. Reichs/* quod vide-



rent plurima in illa, correctione aut additione opus habere : quia etiam alia videbatur publicata, quàm quæ in scriptis fuerat exhibita. In specie quia præcipua jura, LL. videlicet interpretandarum, sententiam dicendi &c. contra expressam Pacis Osnabruggenfis sanctionem omiſſa aut neglecta eſſent. Hinc protestationem talem interpoſuerunt. Ob zwar Fürſten und Stände verhofft/ es würde ſolche zu erhaltung ihrer Rechte und Gerechtigkeit/ auch künfftiger beſtändiger Capitulation facilitirung/ angeſehene ſampt und ſonderſ bahre Erinnerung/ von dem Chur=Fürſtl. Collegio beſſer als vorhin beobachtet werden/ ſo hat ſich doch aus Verleſung der im Druck gegebenen Wahl=Capitulation, der izt regierenden Röm. Käyſerl. Majest. LEOPOLDI, das Wiſderſpiel befunden: ja das in denen kräftigſten und vornehmſten puncten, die Harmonie des Reichs und Jura Statuum, bevorab aber die allgemeine Sicherheit/ jura fæderum, belli, pacis &c. betreffende/ nach ausweis 10. 12. 13. 16. art. dieſelbe noch viel nachtheiliger und gefährlicher als in der vorigen eingerichtet worden: derwegen obgedachte Deputirte/ vor unumbgängliche Nothurfft zu ſein ermeſſen/ dawider feyerlichſt zu proteſtiren/ und geſampter Fürſten und Stände Befugnis auff nechstkünfftigen prorogirten Reichstag deſſals ausdrücklich vorzubehalten/ &c. Tandem addunt: daß ſie die Keyſerl. Capitulation, in ſo weit dieſelbe mit ermeldten monitis nicht einſtimmet/ oder dem inhalt Inſtrum. Pac. ungemäß iſt/ pro lege publica nicht gehalten haben wollen. *vid. Theatr. Europ. part. 8. pag. 491. Videmus ex his, quomodo non de præſcribenda Capitulatione, ſed de materia præciſè proteſtatio interpoſita ſit; quorum illud ad nomen; hæc ad mentem ſpectat. Et niſi omnia me fallunt, mutavit ipſe Dn. Oldenburgerus mentem ſuam, mox, cum ſequentem paginam ſcriberet, ubi illa verba Arnſei ſua facit. Electores (nomine totius Imperii) non admittunt Imperatorem niſi in LL. Imperii. Niſi fortè ego nunc nomine quidem Dn. Oldenburgeri, non verò ex ejusdem mente talia ſcribo.*



Magis ardua illa quæstio est, quid juris Electoribus circa præscribendam Capitulationem, competat? Sive, an Electoribus jus capitulandi quoad exercitium privativè, non admissis votis Principum in vim suffragii, conveniat? Equidem quid Serenissimi Electores senserint refert *Lehman l. 2. act. publ. c. 15. & pag. 279. seqq.* nimirum, die Maßgebung stünde den Churfürsten alleine zu / wäre ihnen von sämtlichen Ständen anvertraut / und nicht nötig andere Stände zu Berathschlagung der Capitulation Puncten zu ziehen. Cum adhuc Electio Imperatorum penes omnes Imperii proceres esset, Capitulatio Regibus nostris, præsentibus universis Principibus, post electionem, in plenis Comitibus condebatur *Lehm. Chron. Spir. lib. 2. cap. 4.* At postquam ad Septemviros potestas eligendi pervenit, hoc, officio Electorum, quasi appendicem juris eligendi adhærere, aliquamdiu creditum est. A temporibus Caroli V. soli quidem Electores Imperatoribus noviter electis, articulos conceperunt, conniventiam miram reliquorum; adeo ut ne mentio quidem aliorum statuum, quorum nomine contraherent, facta videatur. Proinde tacito silentio Ordinum (nec n. tanto temporis spatio unquam fuit graviter contradictum) quasi jus quoddam quæsitum censi posset. Et quanquam in Instrum. Pacis expressè ea de re cautum, ne quicquam tamen in Comitibus *de anno 1653. 54.* punctus ille expediri potuit. Electoribus indecisam Capitulationis materiam ad proxima Comitibus remissam, dicentibus, adeoque ad ipsam Instrumenti pacis literam, cum principibus provocantibus. Ergo iterum ad prorogata rejectus. *Rec. Imp. de Anno 1654. §. Wann aber beyerstgemelter.* At à parte Principum firmissimum est: Illa quæ per LL. cæteris statibus adempta non sunt, manere illis cum Collegio Electorali communia. Præterea gaudent jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi LL. ferendæ. interpretandæ. &c. *art. VIII. §. 2. Instrum. Pac. Cesar. Suecici.* Licet explicationem hanc Principum, Instrum. Pac. *Autor continuit 1. rerum*



in Comit. gestarum vocitet Capernaiticam ; Electorum sub-  
 liorem *contin. 5. pag. 12.* Est autem Capitulatio, ipsa norma ac  
 forma regiminis ac status in Imperio. *Dn. ab Heerden in Der  
 Grundvest pag. 203. & seqq.* Denique ut in Comitibus de Capi-  
 tulatione perpetua concipienda, ex communi consensu sta-  
 tuum agatur & statuatur, expresse conventum. Distinguen-  
 dum insuper jus eligendi, cujus prætextu sine dubio hoc jus  
 sibi arrogarunt, à jure capitulandi. Ita ad Regem Bohemiæ  
 nihil præter electionem pertinet, liquidissimo argumento dif-  
 ferentiæ. Refert in hanc rem per insignia quædam ex *Dn.  
 Hoiero part. 3. descript. Imper. Germ. c. 2. & Dn. ab Heerden Der  
 Grundvest pag. 203. seqq. Dn. Philip. And. Oldenburg. Notit. Rer.  
 Imp. part. 3. d. V. pag. 42. inque Colleg. Jur. Publ. part. 3. Disc. V. pag.  
 35.* Notari quoque meretur locus *Aristotelis lib. V. Polit. cap. 6. u-*  
*bi scribit: Dissolvi etiam Oligarchias cum alteram velut superindu-*  
*ant.* Cæterum nunc quidem istud serio agitatum ut ad nor-  
 mam Instrum. pacis Capitulatio perpetua conciperetur, cer-  
 tiores nos fecerunt literæ & relationes rerum in comitiis ge-  
 starum, & nisi publica intervenisset calamitas, finis huic con-  
 troversie fortè impositus esset, quanquam etiam non desint  
 causæ quare quis diversum conjiciat, vid. *Dn. de Monzamb. cap.  
 V. §. 2.*

## VII.

An vero Bohemiæ Regi in concipienda & præscribenda Ca-  
 pitulatione, nullæ partes sunt? Si usum & observantiam respi-  
 cias omnino negandum est cum *Limn. in Capitulat. proleg. sect.  
 4. n. 7. & tom. IV. addit. lib. 3. cap. 8. pag. 358.* Pulsasse certè in ho-  
 diernis Comitibus Regem Bohemiæ fores Electorum per lite-  
 ras & Legatos, conventionis copiam & admissionem sui po-  
 stulans, imò aperuisse sua Collegis Electoribus monita, au-  
 tor est, scriptor anonimus Relationum in Comitibus gestarum  
 rerum. Non admissum tamen ne ad communicationem qui-  
 dem. Neque unquam fieri videas ejus mentionem. Qua-  
 tenus autem Regnum & negotia Bohemiæ Germanicis inne-  
 xa rebus, explicat latè *Dn. Textor in tractatu suo eleganti de Rat.  
 status*



## VIII.

Deliberatio autem de præscribenda Capitulatione, ita solet institui. Conveniunt Electores vel Legati ipsorum, & primò quidem relegitur quæ defuncto præscripta est Capitulatio, quæque singuli demi vel addi velint vel etiam noviter constitui, monentur, atque per majora concluditur. Conventa in scripturam rediguntur à Cancellario Moguntino, iteratò præleguntur, & ut loquuntur, in mundum referuntur: denique electo Regi Romano exhibentur *vid. Theatr. Europ. part. 8. pag. 446.*

## CAPUT VI.

## DE

## CAUSA FORMAL. CAPITULATIONIS.

## I.

**F**ormam constituo in Imperatoris & Electorum nomine Imperii, in articulos ultroneo consensu, quemadmodum omnium conventionum substantiale, consensus est. *l. i. §. 2. ff. de pact.* Non enim per præceptum aut legem articuli isti electo Imperatori præscribuntur, ut velit nolit, eos recipere cogatur, (prout testantur ipsa proximi verba Capitulat. Leopoldina: *Das wir uns demnach aus freyen Willen &c. dieser nachfolgenden Articula vereiniget*) *vid. quoq. articul. capitulat. 14.* sed ita: ut, si velit administrationem Imperii consequi, debeat ante omnia juratò promittere, se Capitulationi satisfacturum. Electio ipsi quidem viam sternit ad Imperium, sed non statim ab ipso electionis momento, confert administrationem Imperii: jus ad rem habet electus, sed non jus in re. Hoc enim antequam adipiscatur præcedit à parte Electo-  
rum,



rum, electionis proclamatio & insinuatio, capitulationisque præscriptio: à parte autem electi, electionis acceptatio & jurata promissio præscriptarum conditionum & articulorum. Ubi demum incipit electus habere jus in re *Limn. in Comment. ad Capitulat. Prolegom. Sect. VII.* Solet autem regulariter electio præcedere Capitulationis conscriptioni; nimirum ut ad personam, tempus & reliquas circumstantias accommodari possit Capitulatio. A quo more vix est ut unquam recedant Electores, nisi fortè perpetua aliquando Capitulatio condita fuerit. Hinc refert *Auctor rerum in presentibus Comitibus gestarum part. 1. in Ferdinandi IV. electione*, voluisse quidem principes, ut Capitulatio componeretur ante electionem, nihilominus impedire haud potuisse, quin antè Capitulationis compositionem Ferdinandus electus fuerit.

## II.

*Stephani Disc. 16. Sect. II.* formam Capitulationis in jurisjurandi præstatione consistere ait, confundens accessorium cum principali. Etenim Capitulatio etiam non jurato pacta, obligationem, vi naturalis præcepti, pacta sunt servanda, in se contineret. Jusjurandum enim oratio est promissioni adjuncta, idcirco, ut major metus violandæ fidei, quam is quo homines (quos facta nostra latere possunt, aut quorum vires contemnere aut declinare, vel scieniam fallere possumus) timemus, divinæ potentia consideratione atque religione incuteretur. pactum est quo adstringimur; juramentum majoris religionis causa additur & ad punitionem divinam pertinet, quam provocare ineptum foret, si pacti violatio non esset per se illicita. Illicita autem non esset, nisi pactum esset obligatorium. *Hobbesius de Cive cap. 2. §. 22. Grotius cap. 16. n. 16. de J. B. & P. Gudelinius de Jure Pacis cap. 12.*

## III.

Teneri Imperatorem Capitulatione, non tantum ut pacto, sed etiam ut Lege, scribit *Dn. Gerdesius Disp. de LL. Imp. German.* argumento verborum sæpiusculè occurrentium: *sollen und wollen* quorum illud notare Legem, hoc consensum sive pactum,



rum, putat. Sed fallor an sibi constet hæc interpretatio. Dicendum potius est, exprimere illa, ultroneum consensum & inde natam obligationem.

IV.

*Dn. Sibrandus Disp. de Leg. fundament. Imp. Germ.* formam Capitulationis ait consistere in præscriptione; ipse quoque consuetudine multorum pactum cum Lege confundens. At, non sufficit unius partis in paciscendo consensus, nec præcisè Lex ea dicitur Imperatori per Electores, velut subdito, cujus voluntas continetur voluntate Imperantis; sed conventiones firmatur, & præscribunt Electores in Capitulatione, quid Cæsari faciendum, quid omittendum; verum non ex vi alicujus Imperii in ipsum, sed per modum contractus, cujus ea est efficacia, ut si quid contra conventa Ordinibus velit injungere Imperator, impune possint ipsi non parere. Enimvero & hoc est ex communi pactorum natura, non ex aliqua potestate, quæ Ordinibus in Cæsarem competat, vide quæ de Ferdinando I, referat *Seldius apud Goldastum, in Politischen Reichs-Händeln part. 5. n. 3. p. 198.* & nos jam tum supra, de moderno Imperatore Serenissimo retulimus.

V.

Licet autem in ipso consensu & promissione satis sit efficacia, tamen majoris religionis causa, jusjurandum Capitulationi semper additur, hinc verba Capitulat. finalia: *Solches alles und jedes &c. haben wir versprochen und zugesaget thun dasselbe auch hiemit Krafft dieses Brieffs / inmassen wir dann das mit einem leiblichen Eyd zu Gott und heiligen Evangelio geschworen / dasselbe stättfest und unverbrochen zu halten &c.* De quo quidem notandum (1) illud electo Imperatori ab Electoribus vel eorum Legatis deferri. (2) præstari illud secundum receptum usum non per procuratorem aut Legatum, sed ab ipso electo, teste exemplo Caroli V. (3) præstari idem Electoribus nomine totius Imperii (4) non publicè, sed in conclavi, ut plurimum sacro, (5) ante aditam

E

admini-



administrationem Imperii. (6) Corporaliter i. e. tactis Sacros. Evangelis, vel manu sublata, digitisque prioribus dextræ manus elevatis.

## VI.

Illud non minus utilem quam subtilem habet observationem, juramentum non esse exigendum, nisi ubi pactorum violatio vel latere potest, vel non potest puniri nisi à Deo, quod *Hobbesii* est, c. 2. §. 23. de Cive. Facere enim aliquem eo ipso amplius quam ad sui defensionem necessarium est, censet; significare que animum cupiendi non tam ut sibi bene, quam ut illi malè sit. Et *Arnisæus* consultius putat omittere iurandi vinculum de *Majestate* 1. 6. 9. Heic tamen notandum, exigè quidem (aut saltem debere) juramenta ut metu pœnæ atrocioris firmiter homines adstringantur, verum, non, ad iram Dei provocandam, directâ intentione. Neque ulla prior ratio est, quare qui fidem jurato dedit, super pœna, si dolosè fidem fregerit, conqueri rectè queat, quam quia ultro in id consensit, aut sibi accersivit quod evitare penes se erat. Sed hoc velut in transcurso.

## VII.

Partes formæ externæ seu accidentalis sunt (1) Exordium continens narrationem electionis & conventionis (2) ipsa capitula (3) promissio (4) subscriptio (5) sigillatio. Conficiuntur autem septem exemplaria pro numero Electorum Principum. Bohemus enim Jus capitulationis, aut cum jure comitiorum perdidit, aut forte nunquam habuit.

## CAPUT V.

## DE

CAUSA MATERIALI CAPI-  
TULAT.

## I. Effet



## I.

**E**set hîc differendi locus de principum seu conciliorum, propriô alienove nomine Imperium administrantium, officiis: vel ut accommodè loquar, de materia Capitulationis in universum, non habito singulari respectu ad nostrum Imperium. Sed operis ratio exigit, ut idem non nisi paucissimis fieri possit.

## II.

*Salus populi suprema Lex esto.* Hoc uno dicto omnia rectè & civiliter imperantium officia, compendiosè continentur. per salutem autem intelligi debet, non sola vitæ qualiscunq; conservatio, sed quatenus obtineri potest vita beata. Equidem iis, qui suo jure adeoq; absolute regnant, LL. præter naturales nullæ, curiaq; præter conscientiam, in mundo nulla est; si tamen imperio ad salutem populi non utantur, peccant certè, cum tacitè promissio regni benè gerendi in ipsa ejusdem susceptione inesse intelligatur, etiamsi nihil expressè dictum fuerit. Faciunt autem & illi, qui summum Imperium ex mandato administrant contra legem naturæ (quia contra fiduciam illorum, qui Imperii administrationem eis commiserunt,) si non studeant quantum fieri potest, saluti & commodis Civium procurandis: frequentissimum tamen est Imperaturos antequam admittantur, certis legibus seu conditionibus non tantum naturalibus, sed & arbitrariis illigare, certamq; iis formulam præscribere, ex cujus observatione obsequii sui necessitatem suspendant cives; præprimis posteaquam fuit animadvertitum, certa instituta, modumque negotia expediendi, genio populi & statui civitatis optimè congruere.

## III.

quæ autem in administranda republica occurrunt negotia, duplicis potissimum videntur generis. De quibusdam enim in antecessum potest constitui, ideo quod, quandocunque eveniunt, eandem habent naturam; de quibusdam autem, non nisi ex præsentis tempore ferri potest judicium, ideo quod, quæ



illa comitantur praevideri humano consilio nequeant. Circa utraque caveri potest: Illic quidem, dum perpetuae Leges conscribuntur, ad quas sequendas Rex vel concilium adstringatur, heic autem, dum consilium populi vel procerum consulti oportet *vid. egregia in hac rem apud Dn. Pufendorfium in Disputat. de Philippo Amyntae filio §. 22.*

IV.

Solent verò ipsae promissiones Regum concipi vel generaliter vel specialiter. Illae fiunt vel tacite, vel expresse. Speciales rursus in duplici sunt differentia. Aliae enim Regis duntaxat conscientiam stringunt, aliae autem discrepantes actus ipso jure reddunt irritos, atque vim obligandi, tanquam à conditione suspendunt; aliis denique clausula addita est commissoria.

V.

Germanorum antiquis Capitulationibus cautum praecipue esse scribit Goldastus in praefat. tom. 3. constituit. Ut Rex operam daret, ne quid Resp. capiat detrimenti: ut salvis cujuscunque privilegiis Principum lites componeret: ut libertatem factam tectam haberet: ut fœdera servaret: ut onera sine ordinum consensu imponeret nulla: ne bella sine eorum scitu inferret. &c. Cum Ottone IV. quas speciatim in LL. fuerit conventum docet epistola quae de facta illius electione recitatur à Cardinale Baronio, & Apologiae pro Ottone IV. à Meibomio est inserta. Proprio, ibi dicitur, juramento firmavit, imprimis sacro sanctae Ecclesiae, deinde omnium Ecclesiarum jura bona fide servare & manutene-  
re; & subjectos Imperii, exheredatos maxime & à suis possessionibus violenter ejectos, in justitia sua pro posse juvare & conservare. Pravam illam consuetudinem insuper, quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel se moventibus, decedentium Episcoporum vel Abbatum Principumve hucusque servaverunt, penitus extirpans, nos Ecclesiasticos Principes ex hac indebita vexatione, Regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. *Speculum Saxonicum Juris, quod circa illa tempora*

pora



pora conscriptum probat *Conringius*, ita loquitur l. 3. art. 54.  
*Cum Rex eligetur, jurando Imperio homagium praestet, se velle justitiam conservare & destruere injustitiam, & imperii secundum suum posse jura defendere.* Quae sacramenti formula communis tum fuisse videtur. Successu temporum aucta subinde Capitulationis materia & peculiare pluresque articuli (num etiam scripto comprehensi, incertum est) additi. Postquam quoque vi & artibus in alia protuberare & libertatis Imperii non peraeque observans esse cepit Caesarem Regimen, a qua etiam aliter quam statui publico conveniebat accipi, usurpari, postea exculari aut explicari ceperunt, opus sine dubio visum est, expressius Caesaris potestatem definire, electumque disertis conditionibus illigare. *Lehman. Chron. Spir. lib. 4. c. 10. vid. quoque cap. 2. h. Disp.* Quod autem praecipuis Carolum V. prolixis articulis adstringere voluerint Electores, in causa erat istius Principis magna potentia, aetas juvenilis, alti spiritus, quos suum illud plus ultra satis arguebant, & ne patrimonii sui amplitudine abuteretur ad Germanos in ordinem redigendos. *Dn. Monzambano cap. 5. pag. 65.*

VI.

Ita semel receptum institutum, etsi haec rationes non aequè urgerent, retinere visum, & ab eo tempore in qualibet electione, novae strictioresque leges capitulares adjectae, ut perlegenti Capitulationes à tempore Caroli V. ad nostra usque, facile constabit. Nimirum cum Capitulationibus sese res habuit, uti cum alluvione, scribit *Dn. Irenicus, in Colleg. Jur. publ. disc. V. pag. 35.* Et ad hoc per inclinationes congenitas fertur homo, ut nemini subjectus esse, ut omnia suo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit. Quid verò nunc circa summi imperii partes Imperatori liceat, sigillatim explicat *Dn. Monzambano cap. 5. §. 5. seqq. & in Defensione ejusdem Dn. Pufendorf.*

VII.

Sed non inutile praeterea fuerit summa Capitulationis Leopoldinae capita, breviter hinc, & perspicue exhibere. Promissio  
 E 3 ergo



):(33):

ergo Imperator quod velit. (1) Papam Romanamque Ecclesi-  
am defendere, Concordiam Justitiam & pacem conservare. (2)  
A. Bullam, Pacem Religiosam & profanam, Instrumentum Pa-  
cis, Recessus Imperii observare. (3) Electoribus statibusque  
privilegia & jura sua relinquere. (4) Duci Sabaudia Mont-  
ferratum in feudum dare eumque Vicarium Italia esse, sinere.  
(5) Legatis Electorum, præ Rerumpubl. exterorumque Princi-  
pum non Regum, Legatis, præcedentiam in aula tribuere, neq;  
concedere ut exteri sese immisceant rebus Imperii. Item Co-  
mites, ut immediatè Principes sequantur in omnibus actibus  
solennibus post habitis exteris, curare. (6) Electoribus conven-  
tus agendi facultatem concedere, neve reliquorum statuum  
circulares aut collegiales conventus, prohibere. Uniones de-  
nique & confraternitatis pacta ratihabere. (7) Multitudi-  
nis fœdera & combinationes abolere. (8) Protectorium nullum  
exteris Principibus concedere, aut per rescripta confirmare.  
Evocationis Processus tollere. Immediatatem omnibus stati-  
bus conservare. (9) Mediati, ne cum exteris ullas confœdera-  
tiones, protectiones, pactiones quocunque modo ineant, provi-  
dere. (10) Ipse fœdus nullum cum exteris sine omnium Ordinum  
consensu, aut si publica id salus velit, Electorum saltem con-  
sensu, pangere. Nomine verò hereditariarum ditionum o-  
mninò sine calamitate Imperii. (11) Bona Principum occupata  
aut distracta restituenda, restitui curare. (12) Imperii bona  
nec distrahere nec oppignorare sine consensu Electorum. Alie-  
nata recuperare. Quæ sunt ordinis Johannis repeteri.  
Etiam si ipse quid detineat injusto titulo, reddere. (13) Cum vi-  
cinis pacem colere, nec bellum Imperii nomine, sine consensu or-  
dinum aut ad minimum Electorum excitare. Milites in Im-  
perium nullos mittere aut introumittere. Conclusa Monaste-  
rio Osnabruggenſia sanctè servare & servanda curare. Regis  
Gallia hostibus nulla auxilia submittere. De venſivum bellum  
ratio-



*ratione Imperii, omnibus viribus gerere, non tamen ullum propugnaculum in terris Electorum, Principumve exstruere. Neque metationibus eos supra modum onerare. (14) Bellis Italicis nullo se titulo immiscere. (15) Ne vis alicui inferatur, aut ipse inferat, cavere. (16) Nec milites ad Imperii defensionem conductos extra illud ducere sine ordinum consensu, aut iisdem, ordinibus molestiam inferre. (17) Status comitiis, contributionibus, ullisve taxationibus sine necessitate non onerare, neque comitia extra Imperium sine consensu Electorum indicere. (18) Privilegia de non appellando & evocando non violare. Excessus & abusus Judicii Rohtvvilensis ut & Wingartensis corrigere. In puncto collectarum, sequela, non statim mandata cum & sine clausula decernere. (19) Concordata Principum & Germaniae ut observentur, curare. (20) Praemercationes, usuras illicitas atque monopolia inhibere (21) Telonia nova nulla, quocunque praetextu concedere aut augere, sine Electorum omnium & singulorum consensu (22) Onera mercium propria auctoritate imposita, tollere (23) Exemptionem Electorum eorumque subditorum ac ministrorum, ratione vectigalium concessam, conservare & reversalibus confirmare. Insuper in rationes vectigalium inquirere. (24) Judicium de jure vectigalium ipse exercere. (25) Exemptionem à vectigalibus sine Electorum consensu concedere nemini. (26) Non impedire, quò minus sententia Camerales executioni demandentur (27) Si subditi statuum ex crimine laesa Majest. feudis priventur, illa fisco Caesareo non addicere. (28) Neminem sine consensu Electorum Banno ferire. (29) Contributiones Imperii Imperio rursus vindicare. (30) Feuda vacantia nulli, neve expectativas concedere, sed in Imperii Imperatorumque usum servare. (31) Investitura feudorum renovatioque ut justo tempore procedat, videre. (32) Facere, ut feudis licet per hereditatem aliove modo acceptis aut in alios collatis, jura tamen Imperii, ratione contributionum*  
*salva*



*salva maneat. Item ut etiam in controversiis cum Austria-*  
*ca Domo, justitia sine affectu administretur. (33) Rem moneta-*  
*riam communi consensu probe ordinare. (34) Privilegia circa*  
*monetam sine consensu Electorum nulli dare, atque abusus ut*  
*tollantur videre. (35) Cursus publicos bene instituere & mo-*  
*derari. (36) Nullam sibi hereditariam successionem attribueri*  
*aut optare. (37) Coronationem accelerare sedemque fixam in*  
*Germania collocare. (38) Nullum rescriptum juri publico ad-*  
*versum edere, aut accipere. (39) Legatos ordinum citra cun-*  
*ctationem audire, atque feuda sine contradictione conferre. In*  
*negotiis qua alicujus videntur momenti, ad consilium Electro-*  
*rum Ordinumve omnia referre. (40) Officiis majoribus & di-*  
*gnitatibus publicis praeficere Germanos. (41) Judicii Aulici*  
*ordinatio ut observetur & Praesidibus & Assessoribus salaria*  
*conferantur, curare. (42) Visitationem Judicii Aulici Elect.*  
*Moguntino concedere. Consilio sanctiori, ne se immisceat ne-*  
*gotiis Judicii aulici, prohibere; neque a Camera Spirensi cau-*  
*sas avocare. (43) Usum Germanica Latinaque Lingua in Ger-*  
*manicis Judiciis & publicis, tantum fovere. (44) Diplomata*  
*dignitatum a Cancellaria Imperii expediri curare, & non nisi*  
*benè meritis, nec in alterius praesudicium, eadem concedere.*  
*Neminem ad Principalem dignitatem evectum, ad sessionem &*  
*votum comitiale admittere, nisi etiam habeat Bona & posses-*  
*siones convenientes. (45) Taxam Cancellariae Imperialis intra*  
*tres Menses, sine diminutione solvendam, jubere. (46) Sub-*  
*Officiariis Electorum hereditariis, praecedentiam praesufficiariis*  
*aulicis tribuere, neque ut turbentur ab his in suo munere pro-*  
*videre. (47) Capitulationem omnibus ministris observandam*  
*proponere, & commendare. Haec sunt quae velut dictitanti-*  
*bus Suecis & Gallis ut scribit Thuldenus lib. 3. pag. 267. Impera-*  
*tori novissimè praescripta sunt; ex quibus quidem op-*  
*pidò liquet, quanta fuerit articulorum, etiam à Carolo V. fa-*  
*ctae.*



Et accessio & quam exigua potestas Imperatori reservata, aut potius relicta sit.

## VIII.

Continentur autem Capitulatione, non singularia tantum, sed etiam quæ juris generalis & ordinarii sunt, misceri videas. *Capit. Leopold, art. 38.* ut placet *Limneo*, eum in finem, ut electus sciat se ordinario jure in totum solutum non esse. vid. *Comment ejus ad Capit. prolegom. sect. VI.* Contineri ibidem feudalia & judiciaria notat *Autor Comitolog. part. 4. disc. 9.* Deinde non obscure ex ipsis articulis colligere est, non tantum ea quæ ad Regnum Germanicum spectant; sed etiam alia, Imperium Romanum aut Regnum Italiæ concernentia, illic haberi,

## IX.

Non esse autem meri electoralis arbitrii inserere Capitulationi quædam pro lubitu, in superioribus dictum est, & hîc repetendum quadantenus est. Præterquam enim quod hic non posthabenda Ordinum monita, etiam illi adstricti sunt ad Leges Imperii, libertatem & jura statuum, nec non consuetudines receptas conservandas. Planè illi soli non possunt, saltem sine periculo contradictionis, talia immiscere articulis, quæ specialem Constitutionem requirunt, quam condere non est Electorum, sed totius Imperii: sicut nec alia quæ tendunt ad abrogandam, declarandam aut interpretandam legem, cum id ad comitia spectet: multo minus, quæ ad augendam suam eminentiam in præjudicium reliquorum spectant ordinum. Itaque non semel nata est querela ordinum, Electores suam potestatem nimis extendere ad ea, quæ ipsorum jura imminuant, propriamque autoritatem & utilitatem augeant e.g. quod concedant Imperatori, suo tantum consensu adhibito bellum suscipere: fædera inire: tributa indicere: monetæ jus conferre. Scripsit de Electorum circa materiam capitulationis, officio, *Fridericus Elector Palatinus d. 16. Jul. Anno 1619. Heilbrunn ad Administratorem Archiepiscopatus Magdeb. & Hippolitus à Lapide de de Rat. Status pag. 277.* Pulcherima etiam sunt in rem præsen-



tem verba *Dn. Hojeri part. 3. desript. Imper. Germ. cap. 2.* Si quæ  
verò præter officium Capitulationi adjiciant aut agant, iis  
Cæsar & Electores tantum, non reliqui status teneri nec Im-  
perii juribus, præjudicium fieri posse, communis sententia est;  
sic, ut vel istiusmodi actus nulli sint *l. 12. C. Mandati. l. 19. C. de*  
*Procurat. l. 5. §. 3. l. 1. §. 3. de exc. rei jud. vel teneantur ad id quod*  
*interest. l. 27. §. 2. l. 16. C. eodem.*

## X.

Notat prudenter quædam circa materiam Capitulationum  
*Dn. Gerdesius, citata sæpius disputatione de Legibus fundament. Imp.*  
*Germ.* Pertinere ad prudentiam, ne talia præscribantur, quæ vel  
moraliter servari nequant, aut admodum difficulter: Esse qui-  
dem laudabilem curam, ut libertas Imperii statuumque con-  
servetur, nec aptius pro ea remedium, quàm ut potestas Cæ-  
saris ultra eam evagari non queat, at hanc nimis restringere,  
quàm nimiam velle, non minus Cæsari quam ordinibus equè  
esse perniciosum. Nisi enim isti hæc vis insit, ut quod liber-  
tatis atque salutis est continere, regere, si quid adversi ingruat,  
citò repellere, resistere, pressos tueri, malignos coercere, adq̃  
hæc, justis remediis uti valeat; omnia Reip. præsidia frustra,  
& Imperium inane futurum. Quicquid viribus justi Imperii  
adimatur, libertati atque securitati detrahi, quæ nunquam  
conservari possint, ubi non sit Imperio potestas, autoritas, re-  
verentia & obsequium. Esse quidem eò liberiores populum  
quo major fit Capitulatio; In hujus tamen amplitudine etiam  
nimium exsistere posse. Libertatem nimiam multò esse no-  
centiorem, quam si nulla: Eam non benè compositam esse in-  
star gladii, in manu furiosi. Non secus enim ut hic, nisi cu-  
ratorem seu custodem cum potestate sat valida habeat, si in a-  
lia nequeat, in propria sæpè viscera desæviat, ita libertatem ex  
rektoris imbecillitate, in licentiam degenerare, Remp. evertè-  
re & denique in extremam servitutem conjicere. Enimvero  
de Regnis limitatis verè talibus, neque quoad exteriora simu-  
lachra tantum, regni speciem præ se ferentibus, vera hæc utiq̃  
sunt. Non enim ad actiones tollendas, sed dirigendas inven-  
ta Ca.



ta Capitulatio est; sicut neque ripas ad sistendum planè cursum fluminis, sed ad moderandum natura ordinavit. Elegans in hanc rem locus exstat apud *Conring. in Addendis ad Annotat & Lampad. pag. m. 271.* Germanici Imperii fortè alia ratio est, quod ad fæderatorum aliquod systema ultro vergit, ubi Ducem fæderis simulacris, Regiis vestitum, eminere quidem dignitate & autoritate oportet, non autem multa imperandi potestate præesse.

## XI.

Quoniam autem Capitulatio est ipsa norma & forma regiminis & status Imperii, quem certum & constantem esse utiq; expedit; hinc jam Sigismundi Imperatoris temporibus, de perpetua, communi ordinum consensu concipienda Capitulatione, deliberatio cæpta, sed ad exitum perducta non est: Donec urgentibus Principibus stabilem jurium suorum constitutionem, in Instrumento pacis Cæsar. Suecico, de perpetua in comitiis proximè subsequituris conscribenda, conventum est. Et nec tum quidem res expediri potuit, neq; etiam in Comitibus prorogatis. Præsentibus demum, istam rem magis seriò agitatam, relationes testatæ sunt publicæ, & spem fecerunt certissimam optati eventus, nisi circulos nostros turbasset Galus. Sunt tamen non pauci, iique prudentes, queis materia hæc videtur inextricabilis, neque talem facile formulam inveniri posse arbitantes, que non deinceps aliqua correctione opus sit habitura, mutata temporum ratione. Hinc *Auctor rerum in comitiis præsentibus gestarum*, Capitulationem Cæsaream, tantum faceßere negotii, scribit, ut ne eluctandi quidem spes reliqua sit: Electores averfari verbum *perpetue Capitulationis*; Principes amplecti. Dissentire eosdem etiam in eo, an per majora in capitulationis negotio statuendum? His negativam, illis affirmativam tuentibus. Prologi & Epilogi difficultates insuperabiles: Dissensus circa tractationem articulatam & simultaneam: Jus ad Capitulandi; Quibus cancellis facultas eligendi Regem Romanum circum scribenda sit: Communis belli negotia: hæc certè spem vetant inchoare





probabilem, etiam in comittis modernis, deliberationem hanc absolutum iri. Resolutionem autem ultimam Electorum in materia Capitulationis perpetuæ refert *Gastelius, in diffusissimo opere de statu publico Europa cap. 6. n. 8, item Diar. Europ. Tom. 24. pag. 350.*

## XII:

Supereffet, ut & nos myrothæcia nostra explicaremus, sed veriti ne ludibrium Politicis practicis debeamus, quod in scholastica vita constituti, de tam ardua re differere velimus, quæ ingenium summorum virorum tamdiu excercuit, manum penè de tabula auferimus. Ne tamen trunca videatur dissertatio, paucula duntaxat adjicere nobis liceat. Meminisse hîc in antecessum oportet eorum, quorum supra jam *th. 3. b. c.* mentionem fecimus aliquam. Nimirum negotia, quæ in administranda republica occurrunt, vel ejus generis esse, ut de illis in antecessum possit constitui: de quibusdam verò non nisi ex præsentis tempore judicium ferri posse. Utraque certè materiam suppeditare possunt Capitulationi, etiam perpetuæ; sed diversa ratione. Illa quidem, quod perpetuò eandem semper habere intelligantur naturam; hæc, dum constitui potest, ut super illis concilium procerum populivæ consulatur. Prioris generis esse videntur ea. (1) Quæ ad jura ordinum, Electorum, Principum, Civitatum, Nobilium pertinent, quæ ferè nominantur in Instrum. Pac. art. 8. (2) quæ ad confirmationem Legum (3) ad Pacem civilem & religiosam, spectant, & id genus alia, *leg. Textor de Rat. Stat. Germ. c. 18. pag. 551. seqq.* Posterioris verò: quis numerus militum publicè ali debeat; quanta additio, necessitatis tempore, ad publicas collationes fieri oporteat; quæque præterea personæ ac tempori danda sunt. Concipi ergo potest formula quidem Capitulationis perpetua, quin tamen in irregulari nostra Republ. idem facile in effectum dari possit, vehementer dubito. Obstat sanè ipse fluctuans & incertus Germaniæ Status: Electorum cum reliquis ordinibus certissima æmulatio: Imperatoris arcanum in exiguo Electorum numero: Temporum non una ratio: quis enim



enim velit universam posteritatem, post secula quoque venturam, uno eodemque vestimento perpetuò amiciendam, dicere. Neque fortè tanta, quanta passim jactatur, redundatura inde esset in ordines utilitas. Certè Capitulationis Cæsareæ perpetuitas per se, illud non præstitura est, ut vel ex parte Cæsaris vel ex parte Ordinum, absoluta possit esse securitas de pace & tranquillitate publica. Utra enim pars voluerit, non magis in officio continebitur, perpetuâ, quam personali Capitulatione, & ipsi Electores non difficulter admonitu reliquorum ordinum Capitulationi inserent, quæ ipsorum libertati aut juribus videbuntur inservire, quod etiam in ultima resolutione liberaliter promissere. Quin imò interesset, nisi fallor, Imperatoris, ut perpetua conciperetur Capitulatio; nam ita regiminis ratio quæ nunc obtinet, & ad systema plurium fœderatarum civitatum proximè accedit, intendi amplius non posset. Ille verò plenæ Monarchiæ fundamenta parare, sensim subtiliter contraveniendo Capitulationi, quod olim factum *Forstnerus in Epistola de Statu Imp. pag. 188.* per exempla probat, factiones, neque difficiles Episcopos experturus est, instituendo; lento temporum lapsu & per subtiles artes ordinum potentiam & opes atterendo, (ne dicam quod multorum Principum vires insigniter imminuat ipsorum luxuria, socordia, prodigalitas, & divisio ditionum, &c.) commode posset, præsertim si illa dignitas in una familia, quodque aliter fieri Germaniæ rationes non videntur permittere, longiusculè hæreret. Ad ultimum, non facile probes unam aliquam Remp. hæctenus perpetuam constituisse regiminis formulam. Certè Veneti, prudentissima natio, talem nunquam probarunt.

## XIII.

An Potestatis Imperatoriæ plena descriptio contineatur Capitulatione, quærit & negat *Bœclerus in Not. Imper. pag. 53.* Esse interim hoc potissimum monumentum publicum, in explicanda Imperatoris potestate, adhibendum. Arbiträrer spectare huc quod *Lampadius part. 3. cap. 11. §. XI.* rectè observavit, Capitulationis Legibus defini, non tam quid potestatis Cæ-



): (46). (

fari competat, quam quid non competat. Quanquam suo modo utrumque verum sit.

CAPUT VI.  
DE  
CAUSA FINALI CAPITU-  
LAT.

I.

**R**erum publicarum, ut constat, duæ sunt summæ ratione finis, differentia. Aliæ scilicet spectant primariò Imperantium salutem, aliæ non minus parentium quàm Imperantium habent rationem. Ea verò accuratè si perpendamus saltem pleraque imperii nostri instituta, videre est, rem publicam ejusdem universim consideratam magis esse posterioris quam prioris generis. Consistere autem salus communis maximè videtur. (1) in defensione ab hostibus externis. (2) Conservatione tranquillitatis & pacis internæ (3) Civium quantum fieri potest locupletatione (4) libertatis innoxia aut etiam definitæ fruitione. Isti itaque præclaro scopo obtinendo, antiquissimis retrò temporibus non infinita aut libera Regibus nostris concessa potestas est, nimirum ne ea ad propriam libidinem abuterentur, aut aliter quam ad salutem communem uterentur. Quod ipsum expressum etiam est in Capitulatione novissima, verbis proœmii finalibus: *Als wir zur Ehre und Würde des Königl. Nahmens und Gewalts erhoben erhöhet und gesetzt seyn/ deren wir uns auch gemeinen Nutzens willen beladen &c.* Adeò etenim dura & ad, salutem communè intuta videtur maximæ parti hominum, potentia absoluta, ut ipsum etiam nomen oderint, licet rem ipsam concedant. Quippe eam nihil in se involvere iniquum, aut liberis hominibus intolerabile, præterquam quod sine omni incommodo res humanæ esse non possint, ex fine civitatum perspectu facile est. Imò forte majora incommoda potestatem



tem limitatam aut definitam sequuntur, quàm absolutam. Certè, ut alia taceam, oportunius, promptius & accuratius agere potest, imò debet, siquidem officio suo satisfacere velit, princeps vel Consilium absolutè regnans, quàm cui ad præscriptam formulam expedienda negotia sunt. Cæterum quicquid hujus rei sit, placet tamen multis, propter varia humanæ naturæ vitia, rerumque eventus, summam potestatem non committere unius aut paucorum absoluto arbitrio; sed potius ad certas condiciones in delatione regni, regnatos adstringere, ut eò minor occasio detur à salute publica aberandi.

## II.

Cæterum an etiam Monarcha pactis possit obstringi, non adeò expeditum est. *Hobbesius*, accuratissimus certè & profundissimus rerum civilium scrutator, id ipsum *cap. 6. §. 17. & cap. 7. §. 12. de Cive & Leviath. cap. 18. pag. 87.* negat, quem eo nomine refutat *Scharockius de Offic. secundum jus natura pag. 280.* Equidem crediderim injuriam hic aliquam, *Hobbesio* fieri. Nimirum, de quo Rege & Monarcha illi sermo sit, clarum erit, si attendamus ad ipsiusmet verba: *Velle ergo, inquit, pactis illum obligare qui summam habet potestatem, est ipsam civitatem velle obligare.* Reliquos enim qui communiter Regum nomine veniunt, queisque verè limitata vel mandata potestas est, Reges propriè ita dictos non agnoscit. Sunt perspicua ejus verba *Leviath. cap. 19. pag. 95.* Neque Reges temporarii, neque quibus potestas circumscripta est, summi sunt, sed summorum ministri. Sanè, reges quos vocant *Laconicos*, *Aristoteles* ipse *3. polit. 10. & 11.* nihil aliud quam præfectos militares fuisse docet, quique revera non nisi insigniorem Magistratum gessere, teste *Excell. Dn. Præsidi in Comment. ad Grot. manuscripto*, his verbis: *Varia regnorum sunt species, inter quas una solum propriè ac primò dicitur παμβασιλεία. Atheniensis Resp. erat Democratica. Reges seu Archontes in illa, potestatem quam habebant non nisi Magistratus jure sustinebant: quemadmodum Reges Laconici.* Quis insuper non videt, cætum illum articulos



culos præscribentem, quos quidem Imperaturus necessario amplecti tenetur, habere summam revera potestatem; aut si in eos non nisi voluntarie consentiat, ex pacto ipsum, non vero Imperio proprie dicto imperare, quæque adeo civitas hautquaquam inter regulares, sed inter irregulares respon. sit censenda.

## III.

Est verò circa promissa seu pacta quoque accuratè distinguendum. Etiam si Princeps nullo verbo promiserit, se jus Naturæ observaturum, nihilominus hujus obligationi est obnoxius. Hinc, si in promissione officium Regis ex his fontibus describatur velut per periphrasin, aut enumerationem præcipuarum partium, puta se diligenter invigilaturum salutis publicæ promovendæ, bonos defensurum, malos coerciturum, justitiam administraturum, neminem oppressurum & similia; Eiusmodi promissiones haud quaquam absolutum tollunt Imperium. Alia igitur sunt, ad quæ promissis certis adstringuntur, aut sese adstringunt Principes, videlicet ad quorum observationem, sine speciali promissione non essent obligati. Ea iterum aut regis duntaxat conscientia relicta sunt; aut expressè conventum est in delatione Imperii, ut ad certas Leges fundamentales imperium geratur, ac super certis negotiis, ad concilium populi vel procerum deliberatio referatur, neque citra consensum istius quid decernatur. Hæc clarum est, etiam priori modo administrationem reddi restrictam & ubi citra necessitatem Rex secus fecerit, fidei eum violatæ reum fieri; Non tamen ideo civibus protinus competere facultatem cognoscendi super istis actibus aut reddendi illos irritos. Imò observat *Celeberrimus Pufendorfius libr. VII. c. VI. §. 10. de Jur. N. & Gent.* non satis sibi cavere populum, si regi quidem non nisi limitatum velit imperium tribuere, neque tamen constituat aliquod concilium, citra cuius consensum actus isti excepti nequeant excerceri. Arctius verò posteriori modo coarctatur Imperium, si expressâ formulâ summa potestas imminuatur, i. e. aut communicando, aut ex parte

parte



parte vel amplius abdicando: ut si quis promittat, se aliquam Majestatis partem solum non exerciturum, sed socios admitturum hos illosve: aut, si quid præter promissa fecerit, actum ipsum fore nullum. Illud satis constat, qui sub clausula commissoria regnum accepit, eo ipso definire esse *αὐτοκράτορα*, atq; subiaci iudicio populi, qui cognoscere debeat, an rex fidem fefellerit.

VI.

Non tamen ita imperium reddi non summum scribit *quidam clarissimus Vir*, & distinguit inter summum & absolutum. Illud ipsi notat absentiam superioris aut æqualis in eodem ordine: hoc autem facultatem proprio ex iudicio & arbitrio quaecunque jus exercendi. Etenim cum hac posteriori significatione summum imperium sit & dicatur summum, non video quare distinctio talis præter necessitatem sit facienda. Nam ut aliquis summum obtineat Imperium, non certè sufficit superiorem non habere, sed requiritur, ut iusibus ipsius citra tergiversationem, aut provocationem cæteri teneantur obœdire. *Monzamb. cap. V. §. 4.* Quod quidem in imperiis illis limitatis, ubi pro lubitu jus aliquod Imperii exercere Rex nequit, vel cognitio simul concilii requiritur, minimè fit. Non posse autem solo suo iudicio in negotiis Imperii uti, summitati certè non respondet, cum ille cuius consensus necessarius est, utique hac in parte mihi sit æqualis ratione potestatis, de qua summitate nunc præcisè sermo est. Nam dignitatis intuitu utique Dux Venetus summus est, cui tamen nemo summum Imperium tribuere hæcenus ausus est. Et in systematibus sociorum, Dux quidem summus audire potest, ut ut omnino Imperio proprie dicto destituatur. Demum, cum paciscentes inter se de Imperio gerendo, sese instar privatorum habeant, ex quibus qui fidem fallit jus dat paciscentibus in se, aut in actum illum exceptum, planum est duas ita voluntates in civitate existere, adeoque nullam summam, sed duas aut plures esse æquales. Æquale autem summum non est, quia aliud ipsi æquale. Si enim quis dicere velit, habere alterum

G

Deum



Deum superiorem, frustra facta fuisset summi Imperii partitio aut communicatio, cum etiam absoluta potestate præditi Principes, Deum superiorem habeant. Postremò non videtur Imperium summum minus mancum reddi per pactum, quod fit in insystematibus reip. irregularibus, quam Imperium, ubi imperans jure non suo imperium administrat; nisi quod prior modus possit consistere cum superioritate, alter verò non; ubi ille cujus ego voluntatem sequi necessario teneor, me certè superiore est, cum Dominus meus sit. Neque indistinctè procedit quod putat *Grotius*, si actus aliquis fit nullus quocumq; modo, hanc tamen nullitatem non à vi superiore, sed à jure procedere, notante *Consultissimo Dn. Praside in notis manuscriptis ad librum Grot. de Jur. B. & Pac. l. cap. 3.* Qua parte etenim facta est abdicatio aut communicatio, ea uti jure, ita & vi aliqua superiori munita erit.

## V.

Ut porro promissorum ad Imperii rationem pertinentium natura, penitus intelligatur, notandum primò est, administrationem Imperii quæ fit nomine proprio non esse confundendam cum illa quæ fit jure alieno. Illa quidem nunquam potest discrepare à forma Reip. hæc autem quo minus disparem faciem ostendet, nihil obstat. Adeoque non ex hac, sed illa, judicandum de summa potestate est. Deinde distinguendum quoque probè inter promissum, cujus obligatio impingit in aliquam majestatis partem & quod ad modum utendi aliquo jure pertinet. Aut promisit aliquid princeps, quod ad jura Majestatis pertinet, v. g. se non laturum LL. non gesturum bellum, nisi de sententia ordinum; & tum certè partem summi Imperii communicavit: nec integram ille Majestatem habere dici potest, cui potestas ferendi LL. aut Magistratus constituendi adimitur. Aut promisit aliquid, non ad ipsum jus Imperii, sed ad modum administrandi pertinens, & tum non imminuitur Majestas. Quod ipsum accuratè explicat *Clariss. Bæclerus Diss. de Voto Imperatorio: Ubicunq; inquit, ad ferendam*  
*legem,*



legem, indicendum bellum & alia summi Imperii jura exercenda, unus aliquis non liberè, aut adjumenti aut subsidii vice, aut per mandatum, sed necessitate factis, sine exceptione & in eandem vim agendi in eodem actionis ordine integrandam, sociare sibi alios, sive aliis sociari tenetur; ibi talis actio non ex modo imperandi sed ex statu ipso profuit, atque adeò ex tali actione de forma sive statu Reip. judicandum est, non autem de modo gubernandi, cui neque necessitas talis neque efficientia tribui potest. Tum autem ad modum gubernandi pertinerent talia, si, ut in exemplo maneamus, Rex aliquis laturus legem, convocaret ordines Regni sui, & consuleret; quibus & non vocatis & non consultis, aut etiam dissentientibus vel aliter suadentibus, Legem, ferre posset. Nec proinde ferri possunt illa Grotii libro 1. cap. 3. §. 16. quando inquit, arctius quodammodo reddi imperium, sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiam directè in ipsam facultatem, cum posteriori modo summi Imperii partes divellantur aut mutilentur.

## VI.

Et vero, ut pauca quoque distinctè de obligatione ex promissis descendente addamus, cum Princeps *ἀρχὴν ἰσχυρὰν* aliqua promittit, quorum obligationi nihilominus ex officio obnoxius est, obligatur quidem ad officium benè gerendum, naturaliter, Deo cum primis tum quoque Populo. Sed quoad civilem & perfectam obligandi rationem, non superest facultas, quæ obligationem summæ potestatis exsequatur. Nam ut aliquis sit & maneat *ἀρχὴν ἰσχυρὰν* aut summus, & tamen alteri teneatur ex obligatione, ut vocant, perfecta, quæ nempe alteri parti jus det exigendi debitum aut promissum, fieri utique nequit. Quod si Rex promissit se aliqua parte summi Imperii nisi certo modo non usurum, eò sensu quo id præcedente thesi, Bœcleri verbis explicatum est: Heic quidem ad promissa restrictus utendi modus est, ita, ut si citra necessitatem secus factum fuerit, fides violetur. Neque tamen ista promissio jus dat ei cui promissum, constans obligatione perfectè mutua, ita ut irriti sint aut reddi possint actus discrepantes. At verò si imperans planè se parte aliqua Majestatis abdicet, summum imperi-



perium divellitur & ex regulari, irregulare Reip. systema fit, adeoque actus quos exercendi nullum plane jus seu facultas est, nulli sunt. Tandem si id promiserit, quod circa certos actus concilium populi aut procerum consulere velit, citra quorum consensum sua decreta nihil sint valitura, tunc actus contra promissum factus Grotio dicitur injustus. Et cum ita promittens non sit eatenus superior, videmus reperiri hinc etiam aliquid quod ad irregulare referre possis, cum civitas, quæ per modum unius personæ concipitur, si dissentiant inter se Rex & concilium, reddatur muta, & quasi duas voluntates contineat, pacto non Imperio unitas. Spectat huc annotatio Nobilissimi Dn. Præsidis ad §. 16. Grot. lib. 1. c. 3. de Jur. B. & P. quâ observat: Non indistinctè procedere sententiam Grotii, si actus aliquis nullus sit, hanc tamen nullitatem non à vi superiore sed à jure procedere. *Si enim, inquit, Princeps quibusdam summi Imperii partibus sese abdicavit; & nihilominus ab eo iniqua facta fuit earundem usurpatio, utique non solum jure sed & vi superiore cogi potest in ordinem. Si verò partium summi Imperii cum Populo aut Proceribus Communicatio fuerit facta à Principe, sibi soli has arrogans, itidem vi aliqua superiore in ordinem redigi potest. Si enim unus de tanti momenti rebus cum aliis pluribus paciscatur, fidem pactorum violans, in se velut privatus aut singulorum paciscentium vicem sustinens, etiam auctoritatem reliquorum admittere videtur. Imò vix intelligi potest quomodo vis superior à tali jure distet. Si enim actus aliquis Principis ipso jure nullus est propter defectum summi Imperii, sine dubio penes alios pars in Principe deficiens, hærebit, quæ uti jure, ita & vi aliqua superiori munita erit. Aliqua inquam; quâ parte scilicet facta est, aut communicatio aut abdicatio. Et licet ex mente Clarissimi Dn. Ziegleri in not. ad Grot. lib. 1. cap. 3. §. 16. concedamus fortè, Obligationem, quæ talem, nec superioritatem nec subjectionem inducere; illud tamen verum erit, sequi ex illa subinde paritatem, ac proinde summitatis divisionem, ad eoque*



eoque irregularitatem, vid. *Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 17.* Queis verò aliis modis circumscripta potestas est non summi sunt, sed summorum ministri; neque est quod nobis imponant, vobum vel etiam rituum aut insignium externa schemata.

## VII.

Quamquam ex his, ut puto, iudicatu difficile non sit, quem effectum, Capitulatio Imperii nostri gignat, præstabit tamen, in rem velut præsentem venire, & quæ ex his sequantur liquido deducere. Sarius autem fuerit & quid alii senserint, & quid nos sentiamus mixtim exhibere, quandoquidem operis ratio longas ambages non admittit. *Dn. Limneus* & qui eum defendit *Dn. Strauchius Diss. Exoter. 4. n. ult.* quibus etiam accedit *Sprengerus in Juris prud. publ. p. 155. & Dn. Eitel. Friderich von Heerden, in scito admodum libello, Grundveste des Heil. Römisch. Reichs p. 1. c. 1. cujus autorem fuisse, Dn. Cancellarium Brunsvicensem Johannem Schwarzkopffum, vult Dn. Placcius, in egregio tractatu, de scriptis & scriptoribus Anonymis atque Pseudonymis pag. 106. distinguunt inter summitatem & plenitudinem potestatis. Illam non minui Capitulatione, hanc licet, consentes. Cæterum, quod pace tantorum virorum dixerim, cum plenitudo potestatis sit ipsa formalis ratio summitatis quæ non impeditur, non suspenditur, nec iudicatur ullo humano arbitrio aut vi cogente; nisi per arma & scelus: & summum esse & tamen aliquid superius aut æquale agnoscere e. g. Leges aut concilium, contradictorium sit, hæctenus iis consentire non possumus. Ne quid dicam temporibus ac moribus inconvenienter, præsupponatur Imperium nostrum unam aut regularem esse rempublicam, vid. quæ supra memorata sunt *ib. IV.* Neque obstat quod pro sua sententia *Limneus* laudet *Grotium*. Nam illum quidem circa promissa & jurata Regum non satis exquisite aut dilucide, uti quidem quæstionis momentum exigat, philosophari, testes sunt tres illi summi *Grotii* interpretes, *Dn. Rachelius, Dn. Pufendorf. & Dn. Bœclerus, in Commentationibus suis de Jure natura & gentium.* Rectius omni-*



no libro de summ. Potestat. circa sacra scribit Grotius pag. m. 5. Eximi quidquam ab Imperio summa potestatis ratio nulla patitur. Nam id ipsum quod quis eximi volet, aut nulli Imperio humano subiectum faciet, aut alterius quam summa potestatis. Si ea qua summa potestati subducit, alterius Imperio subicit, iam in uno Populo, duas efficit summas potestates, quod ipsius summitatis natura minimè est consentaneum, imò ei repugnat, quoties vox illa non negativo tantum sed & affirmativo significatu sumitur. Quod demum citatus modo Limneus de Jure publ. lib. 1. cap. 12. n. 37. objicit: Ut liberi sint cives etiam Legibus civitatis adstricti, ita Majestate esse præditum Imperatorem, licet LL. fundamentalibus teneatur, nihil est, cum alia ratio sit libertatis non summa, alia summa. Et certè illi qui Capitulationem, Majestati Imperatoris nequicquam derogare, seriò existimant, insignem doctrina civi-  
lis errorem produnt: quos inter referas Reinkingium, Stamlerum, Sprengerum Andlerum, quique omnium optimè tamem illam sententiam proposuit & defendit, Dn. Michaelis Disp. de foro inquisitionis exemptorum 4. §. 7. seqq. item Autorem de Libertate Omnimoda cap. 50. Et verò si quæ sentiamus libere dicere oportet, haud apta videtur illa quæstio: An Capitulatio potestatem Cæsaris minuatur? Non etenim alia Cæsari competit quam qualis ex Capitulatione apparet. Si autem ita formetur, an ea potestas quam exprimit Capitulatio, faciat ut Imperator Verus Rex sit? Ejus decisio huc nondum pertingit, sed thesibus sequentibus exhibebitur, ubi de forma Imperii Germanici agemus.

## VII.

Sed cum iis quidem facile transegerit Imperator qui eum in subiectorum aut Ministrorum classem rejiciunt, quod facere videtur Hippolitus à Lapide, Carolus Molin. Consuetud. Paris. §. 2. g. l. 4. n. 17. Quasi verò necessarium sit, ut eum omnino quis superiorem cogatur agnoscere, cui pro lubitu non potest imperare, & quod Ordines invito Imperatori aliquid, velut pro  
impe-



imperio, injunxerint, haftenus inauoitum est. Dari potius potestatem, quæ Daci corporis alicuius faderatorum competat, quæque specie à regio imperio differat, accuratiores Juris interpretes non negabunt. *Dn. Gerdsius* effectum Capitulationis esse ait, obligationem cæsaream, quod quidem de effectu interno verum est. *Cel. berrimus Carpzovius, in Comment. ad L. Reg. temperari Capitulatione summam Cæsaris potestatem concedit;* quod autem ita etude & universaliter dictum, verum non est, neque in hypothese probari potest. Nempe, non omnis Capitulatio tantum modum administrandi respicit, quo respectu Juris universalis Doctores temperamenti voce utuntur. Quædam etiam ipsum statum seu formam Reipublicæ intrinsece afficit, quo numero moderna quoque Imperatoris Capitulatio, censenda. Proinde minus accuratè in naturam temperamenti penetrasse videntur, *Autor Dissertat. de Libertate omnimoda cap. 50. & scriptor novellus disquisitionis de Rep. monstrosa cap. VII.* Non enim quoad modum exercendæ summæ potestatis temperata potestas Imperatoris, sed sane quantum ad formam seu statum ipsum, circumscripta est. *Dn. Lindenspür in Dissert. de success. & mutat. Imper.* asserit, Capitulatione non poni terminos potestati, sed id tantum caveri, ne imperii fines per alienationes, oppignorationes, similesque modos flaccescant, de quo iudicium videri potest *Monzambani cap. V. §. 4. Illud Anthei pag. 36. tractat. de Jure publico* Capitulationem nihil Majestati Imperatoris detrahente sentientis, cum nullis in orbe Christiano Rex sit, qui non certas ineat cum ordinibus Regni, conditiones, dijudicari potest ex superioribus, & præterea exemplo *Dania & Gallia Regum* aperte factum est. Neque possum probare illa *Limnei*, qui ideo iatroductas censet Capitulationes, ut intelligatur Imperatorem minorem esse Imperio *lib. 1. de Jure publ. cap. X. §. IV.* eum enim qui alteri fidelitatem juret, eo cui juret, inferiorem esse. Nam potest quis ex pacto duntaxat plurimum communibus negotiis

tiis



tiis gerendis præesse, manente de cætero naturali inter ipsos æqualitate. Nec concedi potest Imperatorem propriè Imperio fidelitatem jurare.

## IX.

Hinc quæ toti corpori Germaniæ forma sit assignanda, inter Juris publici scriptores non convenit. Restat ergo ut videamus in quem censum commodissimè referri possit. Pro Monarchia pugnant *Reinkingius, Stamlerus, Schüzius, Schockjus, Dn. Michaelis, & Dn. Witzendorffius*; quorum potissimum argumentum desumitur ab Homagii præstatione & quod ordines Imperatori fidelitatem jurent. Nam inania titulorum, verborum aut rerum externarum species nil quidquam nos movent: Id enim accidere solet post mutationes rerump. ut leges quidem priores maneant, vincant tamen qui Remp. mutant *Arist. IV. Polit. c. V.* Et res non caret profectò omnino difficultate. Quomodo is summum habeat Imperium, qui tot modis in feloniam incidere & toties feudo privari potest? cujus subditi si duriusculè habeantur querelas ad Dominum perferre possunt. Nihilominus tamen *Grotius*, feuda quædam esse speciem fæderis dicit, inæqualis, *lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 23.* Et videtur sententia illa verissima, adeoque distinctio facienda inter vasallos: quorum alii tales sunt etiam cum summo Imperio, alii sine summo. Neque feudorum constituendorum una eademque ratio est. Equidem cui de meo aliquid in feudum concedo, eundem & in plenum licet honoratiorem subditum adsciscere possum. Fieri tamen successu temporis potest, ut idem auctis opibus vinculo subjectionis sese exuat, aut consentiente Domino, aut quia id corrigere non potuit. Sed & ultro quis imbecillior valitiori cuiquam sese adjungere potuit; & ditiones suas feudi nomine offerre (de quilibet feudis quædam habet *Sprengerus in Decis. pag. 384.* & nunc integram disquisitionem moliri *Excellentissimum Dn. Lunckerum Consiliarium Saxonicum*, certiolem me fecit, *Nobilissimus Dn. D. Caspar Thurmannus, vir eruditus atque librorum insigni notitia præcellens,*



*cellens, Fautor meus singularis*) Ille tamen nihil aliud agere censendus est, quam ut isti quem Dominum feudi salutat, sese tanquam inæquale federatum adjungat, cujus Majestatem comiter colere teneatur. Quanquam diffitendum non sit, quod ubi isthæc sanctio pactioni addita, ut commissæ intelligantur vasalli ditiones, si certo tempore investitura non fuerit petita, aut in leges fœderis sit peccatum, modus habendi fiat ignobilior. Contingere etiam potest in magno aliquo regno, ut qui amica provincias magistratus nomine administrant, successu temporum easdem tanquam proprias sibi vendicent. Et tamen ne penitus se abs antiquo illo corpore avellant, eidem, retento Vassalorum nomine, innexi maneant. Quo modo etiam penes ipsos est quousque velint valere id vinculum, ubi antiqua regum familia extincta, novum reip. caput ab ipsis eligitur, manente licet vocabulô antiquæ obligationis, aut ritu pristino in danda fide. Et si illud vel maximè concedatur, quem vis nexum feudalem subjectionem propriè dictam induere, licebit tamen reponere, vim istius vinculi lapsu temporis multum imminutam, licet antiqua signa remanserint. Notanda profecto sunt verba *art. 3. Capitulat. Unter dem prætext der Lehnherrschaft.* Explicavit hæc & alia circa hanc materiam *Clarissimus Pufendorfius in Disquisitione de Rep. irregulari*, ita, ut nobis vix spicilegii laborem reliquerit. Non repugnat autem nature fœderum ut cœteri omnes socium enormiter in leges fœderis peccantē junctis viribus persequantur, aut ut socius à Duce vel capite fœderis coerceatur. E contrario cum persona subditi nequaquam convenit *αὐτονομία* jure omnia expedire, in scio Domino fœdera inire, redditus sibi retinere, nihil præstare nisi in quod ultro consenseris. Hinc ortum videtur, ut talis ordinum potestas, Superioritatis nomine veniat, quam *Celeberrimus Dn. Mauritius*, ut potestatem dependentem distinguit à Majestate, tanquam potestate indedenoente *Posit controvers.* *Jur. Feudal. Decad. VI. th. 2.* & *Dn. Pufendorfius citata Disquisit.* definit, per potestatem que in ordine ad subiectos vim

H

habes





*babet Summi Imperii, qua tamen cum reverentia adversus aliquam dignitate in eadem rep. eminentiorem, & paucis reliquis antiqua subjectionis est conjuncta.* Possis autem dependentiam distinguere in comem reverentialem & ut ita loquar subditivam. Non enim omnis dependens potestas magistratus duntaxat jure convenit, consentiente *Celeberrimo Conringio ad Lampad. part. 3. cap. 3. pag. 140. seqq.* Quæ præterea pro hac Sententia adferri solent argumenta tanti non sunt ut hic recenseantur. Nec reperiet ea facile nunc quidem patronum nisi quem affectus aut captandæ gratiæ studium eò abripit.

## X.

Regnum ergo Germanicum Imperium non est, ne quidem limitatum, cum tale non, nisi ratione administrationis, ubi nihilominus summæ potestatis jura penes unum manent, dari putemus; & clarum sit, leges Capitulationis non exercitium summæ potestatis tantum, sed ipsum τὸ absolutum Imperii delibare. Insuper, quod Regni limitati assertores requirunt; nimirum, ut virium totius regni directio ultimò ad regem redeat, utque sub ipso regni vires uniantur ad commune bonum, & ad illum veluti centrum negotiorum redeat effectus, unde primus venerat motus, illud in Germania non fit. Cujus diversa facies est, ubi quisque sibi tendit primariò, quæque facit, non tam communis, quam propriæ salutis causa facere videtur. Ubi potestas non limitata sed communicata apparet, & plures jure proprio socii regiminis sunt.

## XI.

Qui Aristocraticam Imperio formam attribuerint non pauci quoque sunt: Inter quos eminent *Limneus, Bodinus & Hippolithus à Lapide.* Quo minus autem talis sit, intrinseca rei impedit ratio. Nam ad Aristocratiam requiritur, ut penes senatum potestas hæreat ita, ut suffragiorum major pars prævaleat, cæteri quidem nolentes volentes, stare teneantur  
istius



istius senatus decreto. Quod verò apertè cum Comitiorum nostrorum praxi, pugnare videmus. Ubi plurium vota non constituunt decretum comitiale perfectum. Ibi enim relationes & correlationes instituuntur tamdiu, quousque inter Electores & Principes convenerit. Id quando factum, sententia cum Urbium collegio communicatur. Et si hoc conspiraverit, Imperatori vel ejus Commissario unanimis offertur sententia, qui si eam quoque probaverit, negotium perfectum reddit. Quod si verò hos inter convenire nequeat, eousque res amicè agitur, donec aut ordines inter se, aut Imperator cum ordinibus consentiat. Unde Recessus Imperii per modum contractus non Imperii, constituti dicuntur. Deinde habent id Aristocratix, ut singuli senatores non minus addictè senatui pareant quam alii cives & privatum eorum, patrimonium absolutè subjiciatur Dominio senatus universi. Id quod longissimè à nostris rationibus abesse, nemo non videt. Nam quod Ordines Imperatori invito aliquid injungere possint velut pro Imperio, nemo dixerit; & ipsi etiam Ordines non nisi consentientes parent comitiorum decretis, ut patet ex ipsis Recessuum verbis; imò sæpe ipsis Recessibus adversas constitutiones provinciales, ferunt, exemplo Holsatiæ Ducum in puncto Obstagiorum, quique §. *Instrum. Pac. §. art. 8.* non nisi salvo suo jure admiserunt. Et, quod in singulis provinciis Germaniæ quoad partes summi Imperii, voluntas universorum Ordinum prævaleat voluntati singulorum in sua cujusque ditione, atque adeo singulorum subditi quoad omnes & singulas summi Imperii partes, magis à nutu universorum ordinum quam suorum Principum dependeant, illud quidem asserere praxis nostrorum temporum non patitur, cum ita nudos magistratus ex ordinibus redditurus sis. Quid præterea roboris insit argumentis Aristocratiam propugnantibus, manifestum fieri potest ex *Monzamb. cap. VI. §. 5. & 7.* Illud singulare est, *Excellentissimum Dn. Eichelium in Diss. de Rep. mixta lib. 19.* Statum Imperii oligarchicum





statuere; quod principes ad comitia vocentur, non quatenus virtuosus, sed quatenus nobiles & certa in Germania possideant bona. Secutus in eo sine dubio Aristotelem est, qui Oligarchiam tanquam speciem opponit Aristocratia. Sed non opus videtur, ut diversas species Aristocratia statuamus, si alicubi quidem ut quis in senatum admittatur, sola virtus sufficiat; alicubi census requiratur aut nobilitas generis; cum per talia accidentia, neque natura potestatis in se, neque subjectum ejusdem proprium varietur.

## XII.

Qui autem Democraticum in Imperio nostro statum obtinere docuerint, vix binarium supergressi numerum sunt. *Monzambano* primus est, qui istius doctrinae mentionem fecit aliquam. *cap. VI. §. 3. de statu Imp. Germ.* putans, assumpta Aristotelica civis definitione, Imperium Germanicum Democratiam dici posse; quippe cujus cives soli sint ordines, qui omnes & singuli utique jus de rep. deliberandi & statuendi habeant in comitiis. Tandem concludit illam definitionem non esse universalem. Ast, vereor ut illatio illa procedat cum part modo dici possit. Omnes & singuli optimates in Aristocratia habent jus deliberandi & suffragium ferendi de rep. Ergo Aristocratia est Democratia. Itaque cum limitatione intelligenda fuisset definitio, nempe civis est is qui tanquam pars universae civitatis, jus statuendi de Rep. habet. Non tamen inficias eo, definitionem illam Aristotelicam, Democratia duntaxat aut primario quadrare, quod & ipse fateari *Aristoteles* videtur, quando *lib. 3. Pol. cap. 1.* scribit: *Itaque civem pro singulis rebus publicis alium esse oportet.* Fallor? an aptius civis in genere definiiri possit, per personam, cujus pacto constat civitas. Post hunc, illam sententiam, quidam qui sub nomine *Relfendso* latere voluit, quoad antenus recoxit. Et cum juxta Aristotelem in Democratia pauperes imperent divitibus, cuius tamen contrarium videre liceat in Germania, non illum, sed politicum statum defendere maluit. De quo quid sentien-



dum, ex superioribus ut arbitror liquebit. Expeditum nempe est, ibi esse Democratiam, ubi illi habent jus suffragii quorum pactis ab initio constituta civitas est popularis, & qui horum in jura successerunt. Illud autem in illo Autore mireris, quod cum proximè præcedenti pagina scripserit, ex Aristotele de formis Imperii Germanici judicari non posse, cum in politica ejusdem, agatur saltem de formis civitatum, non verò Imperiorum; mox tamen per *lib. IV. Polit. Aristot. cap. 8. & 9.* in hunc prolapsus errorem sit. Certè, *Aristotelis* Philosophiam in hoc genere aliter quam fieri debeat accipi, & vulgo servire qui civitatem ab Imperiis distinguunt, monet *Bæclerus in lib. 1. cap. 3. §. 6. & 7. Grot. de J. B. & P.* Denique quomodo concilies summam quam defendere vult, Principum Germaniæ Majestatem cum specie illa unius Reip. quam *Aristoteles* vocat *πολιτείαν*. Et habet omnino iste liber sanæ philosophiæ, quam jactat per pauca.

## XIII.

Cum itaque non commodè ad unam harum formarum referri Germanicum Imperium, neque tamen discrimen, quo ab istis discedit, per nudam *παρέκβασι* aut modum administrationis, explicari potuerit; plerique illud, ex simplicibus compositum Imperii corpus esse, quod mixtum appellant rati. Hinc illæ vix intelligibiles disputationes: Quæ nam formarum præponderet? An Cæsari Majestas quoad dimidiam partem competat? An non status Germaniæ ex duabus Aristocratiis & Monarchia mixtus? Ac circa mixtionem quidem formarum magna inter eruditos dissensio semper fuit. Qui mixturam aliquam imperiorum defendunt, fieri posse existimant, ut summum imperium, quantum ad partes sive *Subjektivæ*, sive *potentiales*, dividatur inter plures, ita, ut hoc jus, aut hæc jura Majestatis sint penes unum; illud aut illa penes optimates: aut etiam aliter. Neque putant hoc summæ potestatis naturæ repugnare, quæ morali, non physico metienda modulo, & quæ non ratione objecti, sed ratione potesta.



potestatis, in rebus administrandis occupatæ, indivisibilis nuncupatur. Hujus Sententiæ primi sunt. *Hugo Grotius lib. 1. de Jure B. & P. cap. 3. §. 17. Lampadius de Rep. Rom. Germ. part. 1. n. 60. Conring. ad Lampad. pag. m. 47. Bosius in dissert. de Characteribus reip. §. XIV. seq.* Ex adverso non desunt viri itidem magni, queis doctrina illa, de mixtis rerump. formis, minime arridet; & sicut probabilia utrinque rationum momenta sunt, ita ferè utra pars fortius pugnet nescias. Ab hac parte stant *Hobbesius de cive cap. 6. §. 6. & cap. 7. §. 4. Leviath. cap. 18. pag. m. 90. & 91. & cap. 24. pag. 261. Bodinus lib. 2. de rep. cap. 18. Dn. Pufendorfius in Disc. super rebus gestis Philippi Amyntæ F. §. 3. & seq. item de J. N. & G. lib. 7. cap. 5. §. 12. Diss. de Systemat. Civitat. in pr. Disquisit. de rep. irregulari §. 5.* Memini etiam, non obscure in hanc sententiam propendisse, *Celeberrimum Dn. Ericum Mauritium, Præceptorem olim, nunc Patronum meum colendissimum, cum Danielis Ottonis Epitomen Juris publ. explicaret.* Rationes ipsas hîc velut in compendium exhibebimus redactas. Principio quæstio esse præsupponitur de ejusmodi forma Reip. quæ unam habet voluntatem, cujus unitas apta est conservare internam membrorum concordiam, ac producere finem propter quem societas civilis constituta est. His positis confundenda non sunt civitatis forma, morbus & monstrum: temperamentum cum ipso statu: vinculum pacti & Imperii: regularitas cum irregularitate. Regulares quidem formæ civitatum ab irregularibus in eo abeunt, dum in his non omnia ab una voluntate procedunt, neque omnes & singuli, communi eodemque vero Imperio regnantur. A systematibus autem irregulares resp. discrepant, quod hæ non, ut illa, ex perfectis civitatibus componantur. Morbus provenit ex bonæ formæ mala administratione, atque ex intentione eorum qui remp. constituerunt abesse debet. Irregularitas ipsam formam intrinsecus adficit & sese velut publicè constitutam exhibet. Temperamentum

admi-



administrationi status tantum competit. Imperium denique, vinculum longe validius est, pacto. Nam, qui eodem Imperio continentur non manent inter se æquales, sed dum in unum hominem aut cœtum confertur jus Legum, pœnarum &c. major certe oritur obsequii necessitas, quam si aliqui solo pacto jungantur: ubi nec æqualitas nec jus resistendi tollitur, & nihil superest quo violatur pacti in ordinem redigi possit præter violentiam bellicam. Sed ejusmodi pactis civitas proprie ita dicta non constituitur, ut pote cujus partes etiam summo imperio, non vi duntaxat conventionis naturalis continentur. Evidentius posterior sententia demonstratur, si partes & naturalium imperii paulo accuratius considerentur. Ubi enim in una eademque civitate partes Summi imperii radicaliter & divisim sint penes plures personas aut concilia; non potest fieri quin monstrum aliquod reip. proprietatis producat. Nam, ut alicui pars summi imperii verè competat, tria videntur requiri: (1.) ut qui partem summæ potestatis habet, instructus sit potestate adigendi cives ad servanda quæ vi istius partis statuuntur (2.) ut jus suum adversus vel turbantes vel invadentes tueri possit. (3.) ut suo jure possit statuere quo tempore & modo pars illa summi imperii sit exercenda. Quidvis enim quam imperium est, habere tantum jus indicandi aliis, quid velis fieri ab ipsis, & tamen destitui potestate etiam invitos compellendi ad observandum id quod voluisti. Et precario obtinetur quod contra alterum defendere non licet. Denique minister atque executor duntaxat alterius est qui jus aliquod arbitrio alieno exercet. Sed hæc cum mixtura unius reip. stare non possunt. Tandem summum imperium non est totum aliquod constans ex partibus heterogeneis, ita ut seorsim possint existere. Tantum, pro diversitate objectorum vocatur potestas legislativa, *δικαστική*, belli, pacis &c. Et videtur iste error circa divisionem Majestatis, inde potissimum ortum traxisse, quod visum fuerit considerari posse partes illas sine consideratione totius, inde concluderint, posse easdem seorsim quoque



quoque existere adeoque realiter dividi. Enim vero, considerari potest quantitas sine consideratione corporis, non tamen seorsim existere. Sic finge partes illas potentiales animæ rationales esse separatim in diversis suppositis, ubi hominem reperies sibi constantem. Quid si is penes quem Legislatoria & *δικαστική* potestas esset, legem ferat de non obediendo alii præterquam sibi? Quid si is penes quem belli militiæque jus, ferox & immodestus sit? qui itaque illas verè dirimet, non civitatem mixtam sed cætā informem constituet, cujus partes pacto utcunque cohærent. Si vero hac alicui non satisfaciant, adeat ipsos quos citavi Doctores, ex quorum penâ depromta potiora sunt. Nunc tantum ad veritatem usumque hujus loci suffecerit.

## XIV.

Ergo fortè Germania quoque una non est Resp. ? Existit interdum corpus ex pluribus civitatibus seorsim perfecto statu præditis, arctissimo fœdere naturam unius civitatis imitante & similitudo facit ut sæpe tanquam una sese civitas ostendat. Jam olim Ætholorum, Thessalorum, Cretensiumque civilia corpora Aristoteli *πολιτείας* audierunt. Post illa Acheorum & Amphictyonum confessus in maxima fuere fama. Nec hodiè regimen commune Helvetiæ, Rhetiæ & inferioris Germaniæ Batavorum, aliter quam reip. nomine se exhibet aut appellatur. Illa tamen vere una est resp. quæ una voluntate regitur, cuique omnia ad finem civitatis per modum imperii ordinandi, facultas competit. At commune corpus nostri imperii non certe videtur valere illo arbitrio, præ singulorum Imperii Ordinum amplissimis sese suaque gubernandi juribus. Quod ipsum non solum ex superioribus, sed & ipso usu & clarissimo *Conringii* testimonio *Annot. ad Lampad. p. 225.* manifestum est. *Idem etiam de pace perpetua inter Imper. ordines. sect. 2. Conclus 17.* aperte scribit: *Illud perpendendum relinquo, annon Principes Germaniæ singuli, propemodum singulas habeant resp. & totum S. R. Imperium non sit verè una resp.*  
*blica*



*blica ut ut multa adhuc habeat communia omnibus.* Cui addatur *Bachov. ad VVesemb. in quibus causus pign. vel hypoth. tac. cont. n. 5.* & *Jacobus Gothofredus in Achaic.* Tempori procul dubio non nihil servire voluit, *Clariss. Bœc'erus,* quando *Not. Imp. cap. 5. pag. 13.* de hac quaestione scribit: quod omnino Imperium una dicenda resp. sit, nisi velimus LL. Imperii publicis apertè contradicere. Nam præterquam quod ex LL. publicis nullum certum iudicium ferri possit de Rep. monente Aristotele, ita ipse quid senserit non obscurè indicat in *Comms. ad l. 1. Grot. cap. 3.* his verbis: *Latent sub hac quaestione magna & ardua sed hoc loco non attingenda.* Certè, magis magisque ordines Imperii in partes discedere, & magnis molimini- bus quemque sibi instar reip. fingere & struere, discipulus prioris posterior docet dies. Quantumvis autem Principatus & urbes multum adeo habeant ejus quod liberam facit remp. non tamen omnino sunt perfectæ & liberæ civitates, quippe cum vestigia antiqui illius Regni etiamnum supersint aliqua, quæ prohibent quo minus Imperator magistratus eminentior tantum, aut etiam Caput vel Dux Systematis fœderatorum, præcise dici queat,

## XV.

Nihil ergo superest quam ut dicamus, Germaniam esse irregulare corpus imperii, quod tamen ad systema regulare sociorum inæquali fœdere conjunctorum, proximè accedit. Cujus irregularitas non quidem ab initio constituta, sed tractu temporis & tacitis momentis irrepfit. Quemadmodum enim in corporibus naturalibus plurima occurrunt malè sana, nonnulla penitus monstrosa; ita dantur in moralibus corpora morbida non solum, sed & monstra, quorum inquisitio curiosa non minus spectat ad Jurisconsultos quam formarum inusitatarum, animalium lapidumve, ad Physicos. Et qui ista tam plana non comprehenderit valde negligens sit. Miror adeo, cur illud nuper levibus interpositis argu-

I

mentis,



mentis, repugnantibus experimentis civilibus & ipso rationis dictamine, in dubium vocaverit *Autor disquisitionis de Republica monstrosa cap. VI.* Quod ne gratis dixisse videamur, breviter examinabimus ejus capituli summa capita, quantum per institutum licebit. Sunt, inquit §. 3. & fuerunt multæ tales respublicæ, sed laudatæ & gratæ. Quod quidem *Dn. Pufendorfius* non negabit; sed an inde sequatur non fuisse irregulares, ipse viderit. Ludit quando ibidem addit: illas, quia omnino non discedant à regula, sed saltem à simplici ejus membro junctim ad aliud, malè dici irregulares. Quod enim verè irregulare id contra id extra regulam. Imò vero, quia nec ad hanc ad illam præcisè regulam quadrant, sunt revera extra regulam & irregulares. Præterea non videtur comprehendisse satis distinctionem inter morbum & irregularitatem, quando irregularem Monarchiam dari concedit, sed rempublicam irregularem negat. Quasi etiam respublica non sit irregularis, si Monarchia quædam talis detur §. 4. temperamentum cum irregularitate confundit. Nec sequitur; Expedi huic illive populo status ejusmodi irregularis, ergo ille status non dicendus est irregularis. In Germania quidem sine maximis motibus aut summa rerum confusione, justum regnum reduci non poterit, non tamen definit esse Resp. irregularis. §. 5. itidem morbum cum irregularitate confundit. §. 6. quæstionem tractat an irregulares præstent regularibus, alienam à proposito, nec si in illam causam descendere luberet, veritati convenienter. §. 7. cum de scholasticis, pedanteria, & visionibus scholasticis scriberet, meminisse oportuisset dicitur illius *Thrafontiani*. §. 8. quæ continentur, nequicquam irregularitatem oppugnant. Sit licet nulla reip. forma vitiosa, nisi plane contra finem sit civitatis, potest tamen esse irregularis. Latet hic in vitio vitium. Nec ad Regularitatem interest, unus an plures simul imperent, modo per modum unius personæ imperent. Si aliter fiat, existit irregularitas. §. 9. vocabuli inconcinni ambiguitas argumen-

tum



tum facit plane musteum, Neque subsumptio illa absurda est. §. 10. tandem ipse accuratiori ut putat modo, distinguit respublicas in puras & temperatas, nesciens, temperamentum puritati intrinsecæ & essentiali minime repugnare, neque ipsam formam sed modum administrationis respicere. Sunt præterea in illa disquisitione non pauca quæ quidem censuram mereantur, sed hoc loco non attingenda. Ni me omnia fallunt, monstruosam Rempublicam monstruosis argumentis refellere voluit, quemadmodum venenis venena repellere solent Medici.

## CAPUT VII.

DE

# AFFINIBUS ET CONTRARIIS CAPITULAT.

I.

**I**Nter Affinia occurrit pro *Lex Regia*, de cujus tamen à Capitulatione Imperii Germanici differentia, supra jam *cap. 1.* actum. Plura qui desideret, adeat *Disputationem Bœcleri de Voto imperatorio & Limn. de Jure. publ. lib. 1. c. 12. n. 12.* Hinc inutilis videtur quaestio *Justi Sinoldi cognoment. Schutz Disp. IV. jur. publ. tb. 1. lit. C. & Disp. 1. tb. 9. lit. F.* An per Capitulationem *Lex Regia* abrogata fuerit, an limitata? Affines quoque, in se diversæ licet, Capitulationibus Germanicis sunt, Romanæ *Paparam cum Cæsaribus coronandis Capitulationes. Conring. Annotat ad Lampad. pag. 269.*

II.

Huc pertinent etiam *literæ* quas vocant *reversales*, quibus Princeps sese circa regiminis initium, declarat erga subditos quod eorum libertatem, jura & privilegia facta tecta confer-

I 2

vare



vare velit. Accedit quandoque promissioni juramentum. Differunt tamen à Capitulationibus ut promissa & pacta. Capitulationes ut plurimum nullam admittunt contraventionem; Reversales, si necessitas flagitet. Scripsit de Literis reversalibus nuper eruditum tractatum, *Dn. Abbasverus Fritschius*, & ut hoc obiter addam, præter alia prudenter monet, ne Princeps majora subditis per reversales promittat, quam statui publico conveniat aut salvo eo servare possit. Nimirum certè in hoc Principum facilitatem non rarò seditionibus causam dedisse, docent historiæ. Contingit etenim, ut potestas illa, quæ neglecta est, quando ad publicam salutem resumenda est, resumptio ejus injusta videatur. vid. *Hobbes. Leviath. cap. 29. pag. 151.*

## III.

Speçtat huc quoque quand antenus, locus *1. Samuel. 8. à vers. 11. usque ad 19.* de quo variæ eruditorum obtinent sententiæ. Alii putant non de jure sed factio regis ibi agi quod effectum juris habeat nullum. Quod defendit *Autor L. Junii Bruti sive vindiciarum contra Tyrannos, & Wilhelmus Schikardus in Jure regio Hebraorum.* Alii credunt, non nudum factum indicari, sed tale quod effectum aliquem juris habeat, nempe non resistendi obligationem. Adeoque illud vocari jus Regis eo sensu, quo *l. 11. ff. de J. & J.* prætor etiam jus reddere dicitur, quando inique decernit. Hanc sententiam *Grotius* amplexus est *lib. 1. cap. IV. §. 3.* Alii autem putant locum illum de vero jure intelligendum i. e. de facultate honestè & justè aliquid agendi posita necessitate. Quibus adstipulatur *Bœclerus in Comment. ad citat. loc. Grot. Dn. Osiander & Dn. Zieglerus in Annotat. ad eundem. Hobbes de Cive cap. XI. §. VI. Dn. Puffendorfius addit, Samuelem ibi non tantum juris sed & incommodorum præ antiquo statu, explicare rationem de. l. N. & G. lib. VII. cap. IV.* De jure licentiæ Samuelem exaudiendum scribit *Salmasius defens. regia cap. 2.* judice *Bœclero* parum cautè, cui etiam *Miltonius* in eo genere dicitur impius. Equidem

cre-



crediderim planissimè illum locum intelligi si dicamus, jus regnandi denotari ibidem absolutum, cui non potest non comes esse, non resistendi obligatio. Quoniam enim hæc- nus Deus singulari Imperio rexerat populum Israeliticum 7. *Sam. 8. V. 7.* inde Samuel, populo ejus status pertaxo, comparisonem implicitam ob oculos ponit Imperii divini & huma- ni, *vid. Chron. 2. c. 12. V. 8.* quorum hoc passionibus obnoxium, sæpe sine necessitate gravare subjectos posset, queis tamen ni- hil præter implorationem Dei reliquum; illud verò ab officio regis præscripto *Deuteron. 17. 14.* neutiquam defleceret. *vid. vers. 18. ibi: super rege.* Nam jus illud in sola necessitate pone- re non licebit, cum eo casu, omnia recensita capitæ, etiam in antiquo statu exerceri potuerint.

## IV.

Distingunt Leges aliqui in fundamentales & non funda- mentales, atque ad illas tanquam genus, Capitulationem re- ferunt. Enim vero in regnis quæ proprio & pleno jure ha- bentur & regnantur, præter naturalem illam de obædientia præstanda ei qui summam in civitate potestatem habet, qua sublata civitas tollitur, Lex fundamentalis nulla est. Ubi au- tem separatur jus & exercitium, ibi quidem sunt Leges quas intuitu definitæ administrationis dicere possis fundamenta- les. Cæterum, quæ non civili ratione, ut dictamen aliquod jussuque superioris; sed naturali modo, vigore inite con- ventionis vim obligatoriam nanciscuntur, iis certè legum appellatio accomodari, aut quod de Legibus prædicatur ad ea transferri haud potest. Qualia sunt illa quæ in Rebuspu- blicis minus perfectis aut irregularibus fundamenti rationem habent. Ad quæ referimus Capitulationem. De *Lege Sali- ca* aliarumque gentium publicis, statum reip. concernenti- bus legibus, nihil opus fuerit quidquam addere, præterquam quod de illa agent *Johannes Pyrrhus. Besoldus thesaur. pract. lit. 5. voce Saalrecht. num. 1. Carpzovius ad L. Reg. cap. 1. num. 9. &*



harum illustriores scriptores recenseat *Excell. Dn. Mauritius*  
*cap. 2. §. 2. & seqq. Dissert. de princip. juris publ.*

## V.

Nunc ad reliqua progrediendum, ubi sese primò offert *Resignatio* sive abdicatio spontanea, de qua cum nullæ positivæ Leges latæ sunt, standum utique est illo jure quod naturale audit. Observandum ergo in genere est, liberum unicuique esse juri suo renunciare *l. 51. C. de Episcop. & Cler. C. Si de terra à 6. X. de privil.* Nisi tamen alterius intersit *c. 12. X. de for. compet.* Ergo ut renunciatio justa sit, (1) juris proprii sit spontanea refutatio (2) quoniam proprium aliquid est vel omni ex parte vel ex aliqua, in hujus quidem renunciatione accedat consensio ejus, cui ex parte illud quod renunciatur competit. Quia itaque Imperii Germanici commune regimen pacto compositum est ad utilitatem eorum qui regnantur, in ordinum certè potestate erit renunciationem admittere nec ne. In absolutis autem Imperiis suffecerit, si significetur resignatio & tunc nihil aliud est quam debitæ subjectionis remissio, magisque ad voluntatem abdicantis, quam ad examen causæ respiciendum est; ubi verò mutuus contractus imperantium & parentium intercessit, sive superioris committentis voluntas, tunc equidem ad hos spectabit judicium, an causæ allegatæ iatis graves & justæ sint an secus, nec sufficit nudè & simpliciter voluntatem indicasse. Neque circumstantiarum nulla non habenda hic ratio est. Nam quamvis causæ in se justæ sint, presentis tamen temporis conditio potest eas velut suspensas tenere. Solent autem resignationis causæ esse variæ, puta gravis ætas, perpetua corporis imbecillitas, &c. Confirmant hæc egregiè quæ de abdicatione Caroli V. narrat *Wilhelmus Zenocarus lib. 5. de vita & rebus gestis ejus.* ibi, *Carolus Cesar veteribus innixus consiliis, summo studio à Germanicis Principibus Septemviris frequenter etiam atque etiam petebat, ut sese Imperii fasces deponere paterentur.* Erat

autem



*autem tunc adhuc Francofurti in Germania. Diu delibera-  
runt Principes: & quamvis antea gravissimè constantissi-  
meque, pluribus variisque comitiis ea de re habitis, renuis-  
sent se facturos, tandem septennio elapso (postquam de trans-  
latione Imperii primum Casar & Maria Pannonica Regina  
Augusta in comitis egissent) assenserunt. Equidem quantum  
ad causas attinet Caroli, subtiliores politici nescio quid sibi  
observasse videri volunt. Neque negligenda modo addu-  
cta verba: *postquam de translatione Imperii &c.* Poterit et-  
iam evenire ut licet causa vel non vera, vel non magni mo-  
menti sit, nihilominus renunciatio acceptetur. Haud abs-  
que fructu fuerit legere quæ de resignatione Carolina & resi-  
gnandi jure commentati sunt *Limn. ad Capit. Ferdinand. 1.  
pag. 45. Dn. Conring. Annot. ad Lampad. pag. m. 117. seqq. &  
Dn. Fritschius Tractatu de Resignationibus cap. 2.**

## VI.

Sed & quibus Imperii administrationem resignare de-  
beat Imperator, quæritur? Quoniam autem resignatio hoc  
loco nihil aliud est quam pacti solennis renunciatio, intelli-  
gitur eam iis faciendam esse, cum quibus pactum fuit ini-  
tum. Sunt illi autem omnes omnino ordines, quorum no-  
mine & consensu agunt Electores. Cæterum, an Pontificis  
hec quoque habenda ratio est? Ita quidem Cardinales ejus,  
qui delecti olim, ut de Caroli cessione & inauguratione Fer-  
dinandi dispicerent, censuerunt & responderunt: *Acta Fran-  
cofurti nullius esse momenti, cum non intervenerit in iis S. S.  
autoritas, sine quibus, nec Carolus legitimè imperio solutus,  
nec Ferdinandus in Imperium rectè successisse dici queat.* Thu-  
anus 12. Hist. Sed iniquitatem prætensionis Papalis prolixè  
ostendit, *Vir Summus Herman. Conringius in lib. de Germa-*



*norum Imperio Romano. item Lampadius part. 3. cap. 2. §. 9. de Rep. R. G. & Livin. ad Capitulat. Ferdinandi I. p. 454. Eoque Carolus, & si casus eveniat, reliqui Imperatores, summo jure Papalem contemnunt autoritatem,*

## VII.

Contrariatur autem quammaximè Capitulationi, plenæ potestatis usurpatio. De qua autem ratiocinationem instituire non poterimus, nisi quædam ex iis, quæ jam tum supra annotavimus, in memoriam revocentur. Cum ergo inter Regem & cives in delatione imperii conventum est, ut ad certas leges imperium gerat, ac super negotiis, circa quæ absoluta potestas relicta ipsi non est, consilium certum consulat, neque citra istius consensum quidquam decernat, secus si fiat, nolle cives jussis ejus circa talia teneri. Tali inquam modo, obsequium regi promissum est non absolute & in omnibus, sed quatenus imperata ad capitulationem congruunt, abs qua dissentanei actus vim obligandi habent nullam. *Grotius* distinguit inter obligationem quæ duntaxat cadit in exercitium actus, si ve etiam directò in ipsam facultatem. Contra prioris generis promissa si fiat, actus ipsi dicitur injustus, validus tamen; altera specie etiam nullus aut irritus defectu facultatis. Equidem putaverim: Si exercitium sit restrictum per modum perfectæ obligationis, irritos non minus dici ac reddi posse ejusmodi actus, ac qui sunt posterioris generis. Si verò posteriori modo summi imperii partes divulsæ aut mutilatæ sint, eatenus quidem promittens est æqualis nec superior, adeoque actus nullus ob defectum facultatis, si ve ob abdicatam in tantum facultatem superioris. Et potest in tali statu is qui jura majestatis non sua invadit, vi ab iis repelli quorum jura invadit. Quid vero, si quæ-



si quædam jura Princeps cum optimatibus communia habeat eaque sibi soli trahere incipiat? Aut si quædam in tali statu Princeps solus habeat iisque abutatur? Difficilis sane nodus, quique *Clarissimi Bæcleri* sententia, præveniri debeat legibus remp. describentibus. Equidem ut & Princeps & optimates proprio jure, quædam habeant communia ne fingi quidem posse arbitror. Posito ergo illo casu, aut optimatum cætus consiliariorum duntaxat auctoritatem habebit, & quando placitum suum omnino vult valere Rex, nefas fuerit potestati regis obluetari. Aut principi nudum nomen relictum, quique eo ipso reipublicæ tantum modo minister existit cui utique imperari potest: vel irregulare imperii corpus constitutum censendum est, quale solo pacto naturali contineri diximus. Qui autem solo pacto continentur, eos quidem jus naturæ adstringit ut id præstent de quo fuit conventum. Ast ubi quis dolo malo à pacto resiliuerit, juris naturalis violati reus licet sit, nil tamen superest quo in ordinem redigi possit præter violentiam bellicam. Enim verò si ad singularia descendendum est, ex ipsa promissi & jurisjurandi formula ratiocinando, optimè judicabitur. Difficilimum autem fuerit illum casum, in nostra, plane irregulari rep. definire, nisi prævenerit eundem Lex & conventio publica. Nam in Capitulatione Imperatoria constitutum expresse reperitur, quod actus Capitulationi contrarius, nullus & sine effectu esse debeat, adeoque eo casu Imperator iudicio ordinum subjicitur & si quis per illum læsus, restituendus in integrum est. *vid. art. 33. Capitulat. Carol. V. & Ferd. Ill. art. 14. & art. 38. Capitulat. Leopold.* ubi sequentia leguntur. *Ob aber diesen und anderen vorgemeldten Articuln und puncten, einiges zu wieder erlangt und ausgehen würde, das alles sol krafftloß, todt und abseyn inmassen*  
K
wir



wir es auch iz als dann und dann als iz / hiemit Cassiren  
tödtten und abthun. Scribit *Autor relat. rer. in comit. ge-  
starum*, exemplum contraventionis novissimum esse, quod  
Bavaro perpetuatio vectigalis duplicati jam, concessa sit, ne-  
glecto Palatino, exclusis interessatis. Quod quidem suo lo-  
co & auctori relinquimus. Nam non nisi optima sperare nos  
jubet, optimi Imperatoris bonitas.

## VIII.

Scrupulum multis non levem movet necessitas aut  
periculum ex mora proveniens, an non illis existentibus pro-  
missa strictè adeo non observari permittat sponsionis ratio?  
Et negatur à pluribus, *per art. 27. Capitulat.* ubi conventum:  
**darwieder nicht zu thun in einige Weise oder Wege wie  
die mögen erdacht werden.** Idem olim Elector Saxo ad  
Moguntinum 23. Febr. Anno 1623. scripsit: die Capitulation-  
nes sind stricti juris. Et ejusdem Electoris Legati Anno 1630.  
19. Maj. Imperatori reposuerunt: **die Reichs Constitutio-  
nes sind perpetua, und die zu keiner Zeit oder Occasion  
überschritten werden sollen.** Nihil etiam ex necessitate li-  
cere adversus capitulationem censuere omnes Electores, in  
responso ad Cæsarem d. 12. Aug. Anno 1630. referente Linn. ad  
*Cap. Prolegam. Sect. 8. n. 42.* Maximilianus quidem Impe-  
rator, *narrante Goldasto in Reichs-Handlungen pag. 76.* sta-  
tibus imperii, pacta sine scitu & consensu suo cum exteris ini-  
ta, exprobrantibus, in Comitibus Wormatiensibus Anno 1640.  
respondit: posse imperatorem, in casu necessitatis, ubi pe-  
riculum sit in mora, sine ordinum consensu Leges funda-  
mentales transcendere. Similem exceptionem sæpissime  
opposuit Ferdinand. II. *Lundorp. lib. 3. art. publ. pag. 151.* Et  
*Dn. Abasver. Fritschius* istis legibus tacitam hanc exceptio-  
nem



nem inesse putat, nisi salus reip. aut necessitas aliud exigat. *Conclus. 15. de Princip. peccant.* Idem sentit *Caramuel de pace licita Germ. n. 193.* Cui volupe est poterit rationes utriusque partis latius recensitas cernere apud *Lim. in Comment. ad Capitulat. sect. VIII.* Nostro equidem iudicio in hypothesis verior est negantium sententia, cum affirmantium argumenta id tantum videantur impetrare, à Capitulationibus & sponsonibus ejusmodi certo casu recedi posse, si non aliter de mente paciscentium constet; Quam tamen aperte produnt verba Capitulationis modò citata. Crediderim alias, distinguendos omnino necessitatis gradus & ipsas etiam res publicas. Ubi rex quidem tenetur adhibere consilium & consensum aliorum, neque tamen constitutus sit aliquis cætus qui super exercitio actuum deliberare possit, semper præsumptio bona actus regis consequitur. Ubi vero concilio alicui potestas est cognoscendi super istis actibus, utrum reip. necessitas eosdem flagitaverit, an minus. Hic non potest non colligi quid dicendum sit. Denique si summa necessitas adsit, cujus intuitu multa etiam privatis conceduntur, illa quidem excusatione non opus habet. Imo dicerem, non facile fingi posse talem necessitatem quæ non legibus prævideri & præveniri possit. Et si vel maximè cogitando conciperetur, in rebus civilibus tamen non nisi ad τὸ δύρανον respicitur.

## IX.

Siquidem expressè addita est clausula commissoria, res de deponendi jure clara est, nam tunc quoque Rex in privatam personam recidit. *Grot. de Jur. B. & P. lib. 1. c. IV. §. 12.* Etiam hac non expressa, si violator in ordinem leniter redigi nequeat, nihil videtur obstare, quo minus quæ cum pactum est, æque liber sit ad se defendendum, ac ille ad invadendum. Nam à pactis conventis si una pars discedat, neque altera pla-



cita adimplere cogitur. Inde conventio perfecta si inter-  
cessit inter principem & populum, quaesitum eo ipso subditis  
jus est, quod efficit ut regi in partem non suam involanti, vis  
opponi possit iusta. *Grotius de J. B. & P. lib. 1. cap. 4. §. 13.* Sed  
fortè in irregularibus rebus publicis depositio verè talis, lo-  
cum non habet, & qualiscunque ibi competens cognitio, non  
habet indolem iudicii propriè ita dicti, sed nihil aliud est  
quam nuda contestatio, quo quis manifestum facit, jus suum  
violari & alterum pacto velut repudium mittere. Non ta-  
men ob quamvis violationem pactorum, jure Rex legitimus  
deponi potest. Quaedam enim pacta minoris momenti sunt,  
ut illis sine dispendio magno reip. liceat etiam non stare.  
Violandi etiam modus varius est; alius ex ignorantia magis  
fuit, alius ex malitia: alius conjunctus est cum voluntate ni-  
hil non evertendi: alius uno alteroque est contentus. Neque  
vero posita iusta causa etiam arma statim capessenda. Pri-  
mò tentandum annon lenitate animus flecti possit. Si ita  
nihil proficias, denegari potest obsequium. Cum nec tunc  
libido cohiberi potest, tandem vis vi opponenda defensivè,  
postmodum & offensivè. Sed transeamus jam ad hypothe-  
sin. Certum quidem est, nullam in Imperio nostro expres-  
sam extare legem, cujus vigore imperator deponi possit. At-  
tamen tacitè conditio illa Capitulationi, vi contractus inesse  
putanda. Hinc *Schützius volum. 1. jur. publ. disp. 3. th. 30.* scri-  
bit: non opus esse expressis verbis jus deponendi sibi reserva-  
re. Si ad exempla licet provocare tum vero nec usus deest.  
Quæ tamen omnia jure facta non dixerim. Solum est exem-  
plum Wenceslai non injuria forte depositi. Quanquam &  
hic quaestiones occurrant graves. *vid. Bœcler. Notit. Imp. cap.*  
*1. pag. 63. & ad lib. 1. Grot. de J. B. & P. pag. 280. Stamlerus,* quan-  
do contra depositionem disputat, causam præsupponit falsam.  
Neque *Lampadius* id ipsum argumentum accuratè deducit, te-  
ste *Dn. Conringio ad Lampad. part. 3. cap. 2. §. XI.*



Id insuper meretur expendi quibus illa competat destitutio? Romanorum autem deliria, papæ suo illam asserentium non morabimur, neque illa sententia culinæ Pontificæ egreditur parietes, cujus odor, non veritas, multorum non quidem animis sed linguæ dominatur. Nec opus erit ut contendamus an palatino ea competat potestas? quam non nisi ad causas pecuniarias & litigia cum privatis pertinuisse probat *Hering. de Fidejuss. cap. 7. n. 285. & Conring. de judiciis Germ. lib. 43. & passim alibi.* Illud ergo restat, solis ne Electoribus an omnibus statibus ea facultas tribuenda sit? Pro illis pugnat *Carpzovius de L. Regia cap. 14. & Lamn. Tom. 5. Jur. publ. item Bertramus lib. 11. de Comitibus. & Rummelinus ad A. B. p. 1. diff. 2. lib. 9. pag. 41.* Et Electores Adolphum, Wenceslaum & Ludovicum IV. soli deposuerunt. Ast uti Electio Imperatorum, ita eorundem depositio, fere ad seculum usque tertium decimum penes omnes in universum ordines fuit. præterea jus eligendi ex consensu ordinum est, quod extendi non potest, cum prærogativæ strictè sint interpretandæ. Cum denique nulla scripta lex sit quæ id jus Electoribus tribuat, secundum consuetudinem utique judicandum est. Jam vero historiarum omnium quæ circa depositionem trium illorum contigere, liquido docent, sola autoritate Electorum neminem reliquorum ordinum, obsequium illis denegasse, sed alios persuasionibus inductos consensisse, alios omnino non flexos donec aut juramento ab ipsis regibus soluti, quod fecit Wenceslaus; aut morte illorum, ceu factum reliquis duobus defunctis. *vid. Conringius in Annotat. ad Lampad. pag. m. 123.* Sed num etiam Elector Bohemiarum suffragium habeat in depositione quærit & affirmat *Hermes Fascicul. Jur. publ. c. 18. §. 33.* Quod ego eum cum jure comitiorum perdidisse censuerim.

## XI.

*Abolitionem, interpretationem, & mutationem Capitulationum quod concernit, clarum est fieri illas ab illis debere, qui-*



bus condendi easdem, facultas competit. Capitulatio ergo  
 Cæsarea quemadmodum Imperatoris & communi ordinem  
 concepta consensu est, ita nisi iisdem consentientibus rescin-  
 di & tolli nequit. Nec Imperatoris Electorumque consen-  
 sus suffecerit, arg. etiam *l. nemo potest, de Legat. 1. l. si quis de Le-  
 gat. 3. l. 12. ff. de pact. l. 38. ff. de pact. Baldi de pontifice in cap. ve-  
 nerab. num. 4. de Elect. & Elect. pridem explosa sententia est.*  
 Quod si fortè Electoribus cum Imperatore non conveniat,  
 collatis utriusque rationum momentis, Imperii arbitrium in-  
 vestigandum erit. *Mutatio contingere potest vel additione vel  
 detractioe.* posse denique etiam *tacito consensu* jura civitatis  
 penitus amitti, ita ut illa jure tandem fiant aliorum docent &  
 explicant *Grotius de Jur. Bell. & Pac. c. 4. n. 4. & 11. Coring. de fi-  
 nibus Imper. c. 19. p. 352. seqq. Strauch Diss. de Imper. Mar. cap. 4.  
 th. 4.* De capitulatione Imperii seu Regni Germanici, hæc ha-  
 bui quæ dicerem. Non ut ulli hominum, nedum superiori-  
 bus Majestatis splendore radiantibus, præjudicium facerem,  
 sed ut scribendo me non nihil exercerem. Differui enim non  
 quod esse oporteat regimen, sed, quod accuratè sciri atque  
 intelligi publicè interest, quale per Capitulationem publico  
 Germaniæ consensu, constitutum videatur. Ne ab officio  
 boni, patriæque amantis civis discederem, quod est, statum  
 præsentem reip. cæteris omnibus anteferre.

Tuum erit B. L. omnia in meliorem  
 partem accipere.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



Handwritten scribble in the bottom right corner of the page.

Handwritten notes in the left margin: 'a', 'TK', and '1548'.





B. M. II, 50.  
H. 3, 2.

DIS

CA

F

Ray

V

DN. S.

Juris N

C

LITER

6036

PUBLIC

II R  
1548

IONE

NICI,

titulation.

mo atque

ELIO, Jcto,

e Celeberrimo,

nittic

HOLTZ,

75.

46

ACAD. TYPOGR.

